

STELLARUM DUPLICIUM ET MULTIPLICIUM
MENSURAE MICROMETRICAE

PER MAGNUM FRAUNHOFERI TUBUM

ANNIS A 1824 AD 1837

IN SPECULA DORPATENSI

INSTITUTAE,

ADJECTA EST SYNOPSIS OBSERVATIONUM DE STELLIS COMPOSITIS DORPATI

ANNIS 1814 AD 1824 PER MINORA INSTRUMENTA PERFECTARUM,

AUCTORE

F. G. W. STRUVE,

A CONSILII STATUS ACTUALIBUS, ORDINIS ST. ANNAE SECUNDAE CLASSIS CORONA DECORATI ET ORDINIS DANEBROGICI EQUITE; ACADEMIAE SCIENTIARUM CAESAREAE PETROPOLITANAE MEMBRO ORDINARIO, IN UNIVERSITATE DORPATENSI ASTRONOMIAE PROFESSORE ET SPECULAE DIRECTORE; SOCIETATUM REGIARUM LONDINENSIS, ASTRONOMICAE LONDINENSIS, HAFNIENSIS, GOTTINGENSIS, HARLEMIENSIS, EDINBURGENSIS, ACADEMIARUM SUEGICAE HOLMIENSIS, AMERICANAE BOSTONIENSIS, SOCIETATUM NATURAE SCRUTATORUM MOSQUENSIS, LITERARIAE MITAVIENSIS, MATHEMATICAE HAMBURGENSIS ET OECONOMICAE LIVONICAE, AUT MEMBRO AUT SODALI; INSTITUTI FRANCOGALLICI, ACADEMIARUM REGIAE BEROLINENSIS ET PANORMITANAE A COMMERCIO LITERARIO;

EDITAE JUSSU ET EXPENSIS ACADEMIAE SCIENTIARUM CAESAREAE PETROPOLITANAE.

№ 4280

PETROPOLI,

EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA.

1837.

V. VI. 5

STELLARUM COMPOSITARUM

MENSURAE MICROMETRICAE.

AUGUSTISSIMO

IMPERATORI
NICOLAO PRIMO

AUTOCRATORI TOTIUS RUTHENIAE

CET. CET. CET.

GENEROSISSIMO ASTRONOMIAE PROTECTORI

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

D. D. D.

CONSPECTUS.

A. INTRODUCTIO.

	Pagina.
1. HISTORIA OPERIS.	I
2. APPARATUS MICROMETRICUS. Notiones generales. Amplificationes. Fila. Eorum diametri et parallelismus. Contactus observati certitudo. Conjunctio florum seu coincidentia. Illuminatio duplex. Pretium revolutionis cochleae. Ejus ex temperatura mutatio. (De qua vide certiora in 13. D. et 15.)	VI
3. DE MOTU TELESCOPII PARALLACTICO OPERA HOROLOGI EFFECTO. . .	XVII
4. METHODUS OBSERVANDI ANGULOS POSITIONIS SEU DIRECTIONIS INTER DUAS STELLAS. Punctum 0 in circulo positionis diviso motui diurno respondens $\equiv T$. Observatio directionis. Correctio ex relatione inter polos coeli et instrumenti pro directione atque pro AR et Decl. Actio ponderis partium instrumenti in T .	XVIII
5. METHODUS DISTANTIARUM OBSERVANDARUM. Mutationes coincidentiae florum ex duabus caussis. Methodi mensurarum usitatae pro distantis, pro differentiis in declinatione. Methodi in minimis distantis adhibitae.	XXVIII
6. ACCURATIOR TOTIUS OPERIS EXPOSITIO. Stellae nonnullae catalogi anni 1827 pro mensuris exclusae variis ex caussis. Earum census. Supplementum II. in catalogum. Corrigenda et addenda in catalogo duplicium. Stellarum denuo dissectarum census. Numerus omnium stellarum micrometricae observatarum. Forma diarii originalis. Contractio. Notitiae generales variae, mensurarum indolem et usum spectantes. Actio refractionis. Usus calculi probabilitatis in mensuris stellarum multiplicium apte reducendis.	XXXII
7. DE FIDE MENSURARUM MICROMETRICARUM HOC OPERE CONTENTARUM. Actiones atmosphaericae. Calculus errorum probabilium ex mensuris. Synopsis errorum probabilium et distantiarum et directionum in variis ordinibus. Eorum relationes. Usus errorum probabilium ad mutationes inveniendas. Observationes erroneae earumque emendationes.	LV
8. DE STELLARUM MAGNITUDINIBUS. Notatio magnitudinum. Relatio inter ordines postremos Herscheli II. meosque. Relationes inter ordines magnitudinis 1 ad 12. Comparatio inter notationes operis hujus, catalogi 1827 et mapparum Hardingianarum. Errores probabiles in singulis magnitudinum notationibus. Stellae duplices luminis variabilis.	LXVII
9. DE STELLARUM INPRIMIS COMPOSITARUM COLORIBUS. Notiones generales. Census duplicium lucidarum secundum colores. Stellae lucidae duplices, in quibus utrisque est color idem. Stellae, in quibus varii colores sunt conjuncti. Generalia. Stellae duplices reliquae, in quibus insignes sunt colores. Stellarum triplicium colores. Comparatio colorum a Herschelio I. notatorum cum iis, quos ego observavi. Differentia constans inter utriusque astronomi colores. Ejus explicatio.	LXXIV

10. DE DIVISIONE STELLARUM DUPLICIUM SECUNDUM DISTANTIARUM ORDINES. Digestio nova in 8 ordines secundum distantias inter 0" et 32". Subdivisio in duplices lucidas et reliquas. Numeri stellarum duplicium in ordinibus occurrentium. Exstinctio luminis. Usus calculi probabilitatis ad stellas physice et optice duplices dijudicandas. Catalogi stellarum triplicium tam lucidarum quam reliquarum. LXXXIX
11. DE MOTU PROPRIO STELLARUM COMPOSITARUM. Calculus motus proprii comitis ex motu stellae primariae. Motus proprii stellarum duplicium intra 32" distantium secundum Argelandrum. Census 39 stellarum, quae ex motu proprio physice duplices sunt habendae. Stella una ex 41 certum exemplum offert compositionis mere opticae. Disquisitio de motu proprio stellarum duplicium plus quam 32" distantium. 27 stellae duplices a 32" ad 7' distantes, quarum motus proprii in catalogo Argelandri inveniuntur. Ex his sunt physice copulata paria 13, optice composita paria 9, dubiae indolis paria 5. C
12. DE MOTU STELLARUM COMPOSITARUM IN ORBITIS. Motus in orbitis et ex angulis et ex distantiiis mutatis indicantur. Sed in Herscheli I. mensuris anguli sunt longe certiores distantiiis, ita ut motus plerumque ex solis directionibus comparatis cognoscantur, nisi solae recentissimae observationes etiam distantiarum mutationes manifestant. Synopsis stellarum mutatarum secundum distantiarum ordines. 58 stellae duplices, in quibus mutatio est certa; 39 stellae, in quibus mutatio est probabilis; 66 stellae, in quibus est mutationis suspicio. Recensio stellarum Herscheli I., in quibus nulla hucusque apparuit mutatio. Comparatio numeri stellarum Herschelianaerum non mutatarum cum numero mutatarum secundum distantiae ordines. Theorema inde deductum. Periodi revolutionum. Brevissimae periodi in nonnullis stellis expectandae. Periodi in stellis majoris distantiae quam 32" taxantur. Motus in stellis triplicibus. CXXI
13. COMPARATIO MENSURARUM PER TUBUM FRAUNHOFERIANUM PERFECTARUM CUM ALIIS MENSURIS. EXAMEN ERRORUM CONSTANTIUM. CXXX
- A. COMPARATIO ET EXAMINATIO DISTANTIARUM.
- 1) Differentiae *ascensionis rectae Dorpati* inde ex 1814 tubis meridianis observatae. Discrimina constantia earum ab observationibus tubo Fraunhoferiano acceptis $= \Sigma$ Explicatio discriminum.
 - 2) Distantiae *Dorpati* annis 1821 ad 1823 per tubum quinque pedum observatae $= \Sigma'$. Differentiae mediae $\Sigma - \Sigma'$. Earum explicatio.
 - 3) Distantiae ab Herschelio II. et Southio annis 1821 ad 1823 observatae $= S_h$. Differentiae mediae $\Sigma - S_h$.
 - 4) Distantiae a Southio annis 1823 ad 1825 observatae $= S$. Differentiae mediae $\Sigma - S$.
 - 5) Distantiae ab Herschelio II. annis 1828 ad 1830 observatae $= h$. Differentiae mediae $\Sigma - h$.
 - 6) Distantiae a Dawesio annis 1830 ad 1833 observatae $= D$. Differentiae mediae $\Sigma - D$.
 - 7) Distantiae ab Herschelio II. annis 1831 ad 1833 observatae $= h'$. Differentiae mediae $\Sigma - h'$.
- Synopsis comparationum. Explicatio probabilis. Vindiciae distantiarum Σ . Comparatio distantiarum a Besselio per magnum heliometrum observatarum $= B$ cum Σ . Dubium ex hac comparatione de distantiiis Σ excitatum. Experimenta distantiarum inter stellas ficticias instituta, quae ad Σ recte iudicandas ducunt, cum ex illis prodeat errores constantes in distantiiis micrometro filari tubi Fraunhoferiani observatis esse nullos. Conamen differentiarum exiguarum inter Σ et B explicandarum.

B. EXAMINATIO ANGULORUM SEU DIRECTIONUM. Experimentiae de directionibus stellarum ficticiarum institutae. Difficultas in directionibus obliquis recte iudicandis. Cautelae. Actio refractionis in relationem stellarum coloribus diversis tinctarum examinatur.

C. EXAMINATIO MENSURARUM DE STELLIS VICINISSIMIS I. E. INTRA 0",8 DISTANTIBUS INSTITUTARUM.

2) Distantiae taxantur potius quam mesurantur. Correctiones distantiarum taxatarum ex stellarum ficticiarum observationibus prodeutes.

2) Anguli seu directiones stellarum vicinissimarum. Observationes directionum in stellis ficticiis, quarum distantiae centrales sunt inter 0",2 et 0",8. Comparatio angulorum in 16 stellis duplicibus coelestibus a 0",2 ad 1",8 distantibus, ab Oitone Struve, filio, et a me conjunctim observatorum.

D. EXAMINATIO MENSURARUM INTER STELLAS LUCIDAS A 32" AD 7' DISTANTES PERFECTARUM. Directiones. Distantiae. Nova determinatio coefficientis thermometrici pro pretio revolutionis cochleae ex observationibus stellarum ficticiarum, in pertica ferrea invariabili modo fixarum.

14. DE PARALLAXI STELLARUM FIXARUM. Indicia stellarum fixarum Soli proximarum sunt splendor, motus proprius et diametros orbitae in stella duplici. Conjecturae de parallaxium maximarum pretiis. Index stellarum ad parallaxes detegendas idonearum. Methodi parallaxium per tubum parallacticum micrometro filari instructum determinandarum duae. Differentiae in *AR*. Distantiae et directiones micrometricae. Formulae. Conamen parallaxeos stellae α Lyrae ex observationibus micrometricis constituendae. De aberrationibus stellarum duplicium usu ad parallaxes cognoscendas. CLXII

15. ADDITAMENTA IN NONNULLA CAPITA INTRODUCTIONIS. Tabula pretii revolutionis cochleae emendata. Correctiones mediae distantis ab Herschelio I. constitutis adjiciendae. Alia.

B. MENSURAE MICROMETRICAE STELLARUM IN CATALOGO EXHIBITARUM.

1.	STELLAE DUPLICES	LUCIDAE	ORDINIS	I. a 0" ad 1" distantiae.	1
2.	"	RELIQUAE	"	I. " "	11
3.	"	LUCIDAE	"	II. a 1" ad 2" "	14
4.	"	RELIQUAE	"	II. " " "	27
5.	"	LUCIDAE	"	III. a 2" ad 4" "	42
6.	"	RELIQUAE	"	III. " " "	57
7.	"	LUCIDAE	"	IV. a 4" ad 8" "	88
8.	"	RELIQUAE	"	IV. " " "	103
9.	"	LUCIDAE	"	V. a 8" ad 12" "	137
10.	"	RELIQUAE	"	V. " " "	144
11.	"	LUCIDAE	"	VI. a 12" ad 16" "	165
12.	"	RELIQUAE	"	VI. " " "	171
13.	"	LUCIDAE	"	VII. a 16" ad 24" "	184
14.	"	LUCIDAE	"	VIII. a 24" ad 32" "	190
15.	"	RELIQUAE	ORDINUM VII. et VIII.	a 16" ad 32"	196
16.	"	EXIGUAE	"	II. ad VI. a 1" ad 16"	227
17.	"	CATALOGI,	quarum distantiae majores quam 32"	230
18.	SUPPLEMENTUM	IN ORDINEM I.	234
19.	"	"	II.	237
20.	"	"	III.	238
21.	"	"	IV.	240

C O N S P E C T U S.

	Pagina.
22. SUPPLEMENTUM IN ORDINEM V.	241
23. " " VI.	242
24. SUPPLEMENTUM IN ORDINES VII. et VIII.	246
25. SUPPLEMENTUM IN DUPLICES CATALOGI plus quam 32" distantes	248
C. APPENDIX.	
I. MENSURAE MICROMETRICAE STELLARUM DUPLICIUM LUCIDARUM INTER 32" et 7' DISTANTIUM.	251
II. MENSURAE MICROMETRICAE INTER STELLAS NONNULLAS MOTU PROPRIO INSIGNES ET VICINAS MINORES.	274
III. MENSURAE SECUNDAE DE STELLIS PLURIBUS INSIGNIORIBUS CATALOGI INSTITUTAE.	280
D. SYNOPSIS OBSERVATIONUM DE STELLIS DUPLICIBUS IN SPECULA DORPATENSI ANNIS A 1814 AD 1824 PER INSTRUMENTA MINORA PERFECTARUM.	
I. DIFFERENTIAE ASCENSIONIS RECTAE IN STELLIS COMPOSITIS PER TUBOS CULMINATORIOS OBSERVATAE. ADJECTI SUNT ANGULI DIRECTIONIS TUBO MOBILI COGNITI.	307
II. MENSURAE MICROMETRO FRAUNHOFERIANO AD TUBUM QUINQUE PEDUM ADAPTATO ANNIS 1821 AD 1823 PERFECTAE.	315
E. INDICES.	
I. INDEX STELLAS FLAMSTEEDIANAS CATALOGI EXHIBENS.	321
II. INDEX DUPLICIUM HERSCHELI I. IN CATALOGO OBVIARUM.	322
III. INDEX PAGINAM TEXTUS SISTENS, QUAE STELLAE UNIUSCUIUSQUE MENSURAS EXHIBET, SECUNDUM NUMEROS CATALOGI ORDINATUS.	323
IV. INDEX STELLAS EXHIBENS, QUARUM MENSURAE CURIS SECUNDIS SUNT REPETITAE.	331

I N T R O D U C T I O .

INTRODUCTIO.

1.

HISTORIA OPERIS.

Anno 1827 catalogum stellarum compositarum publici juris feci, maxima ex parte in specula Dorpatensi telescopio magno Fraunhoferiano detectarum, quae inter polum arcticum et circulum declinationis 15° australis jacent. Narrationem brevem laboris ad stellas has detegendas et enumerandas impensi in Introductione ipsius catalogi dedi, ex qua apparet noctes 129 biennii a die 11. Febr. 1825 ad 11. Febr. 1827 esse adhibitas ad lustrationem partis illius coeli, in zonas divisae, perficiendam. Restabant tum horae nonnullae in zonis horizonti vicinis coelo magis sereno denuo tractandae. Quod novem noctibus usque ad diem 18. Aprilis anni 1827 est factum, qua nocte totum coeli examen ad finem perduxi. Cum in diario stellae unicuique compositae in lustratione detectae numerus assignaretur currens, postrema nocte ad numerum 3809 perveneram. Cum vero plures ex stellis bis aut saepius in diariis occurrerent, omnibus in ordinem redactis, catalogus finalis diversas stellas continuit 3112, secundum ascensiones rectas digestas, adjectis et declinationibus et brevi descriptione.

Catalogus hic stellarum compositarum a prioribus catalogis eo erat diversus, quod et certam coeli partem, quae est 0,62941 totius superficiei coelestis, amplectebatur, et in labore nitebatur eo scopo suscepto, ut stellae compositae ex numero stellarum ad magnitudinem usque inter octavam et nonam in coelo occurrentium seligerentur. Spes erat, stellas duplices intra certos et distantiae et magnitudinis fines si non omnes in ea coeli parte obvias, saltem longe plurimas hoc catalogo contineri, et ita ansam praebere ad iudicium tum de distributione stellarum compositarum in coelo ferendum, tum de majori minorive numero stellarum in certis distantiae ordinibus occurrentium.

At vero enumeratio stellarum duplicium erat initium laboris longe majoris suscipiendi, si de natura et motibus stellarum compositarum accuratior expetebatur cognitio. Positiones stellarum, quales catalogus offert, eam quidem habent fidem, ut ad stellas in instrumentis meridianis recognoscendas et ab aliis prope jacentibus discernendas valeant, quippe quarum error probabilis in ascensione recta sit 0,11. sec \bar{d} temporis, et in declinatione

0',72 (vide Introductionem catalogi p. VII); non vero ea sunt praecisione, qua ad motus ipsarum proprios in futuro definiendos opus est. Descriptiones stellarum in catalogo datae magnitudines quoque exhibent, et classem Herscheliam, cui quaevis stella ex distantiae taxatione sit adscribenda. Quae relationis inter singulas stellas notitia non sufficit. Labor enim totus de stellis compositis suscipiendus erat proprie quadruplex.

Primo loco enumeratio erat facienda stellarum compositarum in hac coeli parte intra certos et magnitudinis et distantiae limites occurrentium.

Secundo loco positiones apparentes omnium stellarum in catalogo occurrentium, nempe majoris cujusvis stellae compositae, instrumentis meridianis omni cura erant constituendae, unde positiones mediae tam perfectae pro certa epocha deducerentur, quibus opus est, ut fundamentum ponamus solidum ad motus proprios cognoscendos ex comparatione observationum tum antehac institutarum, si stellae in catalogis Bradley et Piazzii obviae sunt, tum post seriem annorum denuo suscipiendarum.

Tertio vero loco mensurae micrometricae erant perficiendae, unde pro epocha media positio relativa stellarum conjunctarum summa constitueretur acie, ejusque positionis mutatio, si qua erat, aperiretur in futuro, seu periodica ex nexu physico stellarum oriunda, seu continua, si motus aliquis proprius stellarum seu alteram seu utramque suo sensu propellebat. Ex quo elucet mensuris micrometricis opus esse in diversis epochis institutis, et in multis stellis adeo quotannis aut saepius repetitis, ut cognitio nostra quantum assequi licet perfectissima evadat.

Quarto denique loco in votis debebat esse relationes splendoris, seu magnitudines stellarum fide definiri majori, quam in catalogo ex singula plerumque inspectione factum erat. Numero enim stellarum et simplicium et multiplicium in magnitudinis ordinibus exactius demum cognito, certissima evadit applicatio calculi probabilitatis ad problema solvendum gravissimum, quot scilicet duplices inter certum numerum ordinis circumscripti vi gravitationis, seu physice, conjunctae, quot optice tantum compositae sint habendae. Experimentum hujus calculi feci in Introductione ipsius catalogi, quem consecutaria nonnulla maxima attentione digna obtulisse confido. Nihilominus sentio fundamenta illius calculi non tali gloriari soliditate, ut quae ex calculo prodierint, ea omni dubitatione libera possint haberi. Sperari vero debet justam photometriam ad stellarum etiam compositarum splendores relativos metiendos adhibitum iri, cum clarissimi Steinheili labores viam aperuisse videantur. Interim vero nihil erat relictum, quam repetitas taxationes magnitudinum cum mensuris micrometricis conjungere, unde sumtis mediis cognitio prodiret certior, quam ex singula notatione. In quo labore id praecipue erat enitendum, ut eidem splendori quantum fieri poterat idem assignaretur magnitudinis ordo, quamquam justa relatio inter magnitudines diversorum ordinum etiam incognita manebat, seu rudi tantum aestimabatur approximatione. Magnitudinum taxationi judicium de stellarum coloribus erat addendum, in quibus, ut notum est, maxima conspicitur varietas.

Consilium operis totius secundum has propositiones perficiendi exstitit mihi mox postquam tubus ille Fraunhoferi in speculam venerat, ineunte mense Novembri anni 1824. Jam vero, undecim annis ex hoc tempore elapsis, eoque progressus sum, ut materiem operis ex omnibus fere partibus congestam habeam, ejusque astronomis communicandi laborem suscipere possim. Qui vero aliter potest esse, quam ut qui vitae complures

annos in eo adhibuit, ut opus aliquod perficeret, postquam scopum demum attigit, totam is laboris peracti viam denuo percurrat animo, brevemque narrationem iis communicare amet, quibus totum opus cordi fore sperat?

Positionum stellarum compositarum per observationes meridianas, tam ascensiones rectas quam declinationes praebentes, constituendarum initium est factum anno 1822, quo specula nostra circulo meridiano Reichenbachiano ornata est. Eo etiam anno catalogum stellarum duplicium tum temporis cognitarum in volumine III Observationum Dorpatensium congesseram. Observationes hae meridianae, annis 1822, 23 et 24 institutae, exhibentur voluminibus IV. et V. Sed etiam post adventum tubi Fraunhoferiani observationibus meridianis annis 1825 et 1826 saepe vacabam, tum quia usus tubi illius, nondum sub turri mobili positi, priori anno esset angustior, tum quia posteriori anno series observationum incepta ad certum finem erat perducenda. Numeri singularum positionum diversis annis observatarum sunt proxime hi:

anno 1822 =	300
„ 1823 =	1800
„ 1824 =	1400
„ 1825 =	1200
„ 1826 =	100
Summa =	4800

Ex quibus circiter 3600 sunt stellarum in catalogo minori anni 1822 contentarum, reliquae vero deinde detectarum et in novo catalogo occurrentium. Catalogus ille prior 795 habet stellas, sed 611 tantum, quarum positiones erant determinandae. Reliquas 184 rejeceram, cum vel non duplices essent cognitae, vel non respiciendae viderentur ob distantiam 60'' excedentem. Hinc apparet unamquamque ex stellis illis 611 sumto medio sexies fere esse in circulo meridiano plerumque annis 1822 ad 1824 observatam, ter in prima et toties in secunda instrumenti positione. (Circulo aut ad Orientem, aut ad Occidentem verso.) Novus vero catalogus inter 3112 stellas habet 447 in priori obvias, seu 2665 recens detectas. Harum determinandarum initium tantum debile erat factum anno 1826, cum 1200 positiones diversae essent observatae, quae in volumine VI. Observationum Dorpatensium inveniuntur. Eo vero anno in auxilium mihi est additus amicissimus E. W. PREUSSIIUS. Cum enim in votis haberem totum me observationibus per telescopium Fraunhoferianum instituendis dicare, Preussio circulum meridianum Reichenbachii ita tradidi, ut inde ex eo tempore solus per hoc instrumentum observaret. Vir hic labore per novem annos continuato eo jam rem perduxit, ut plurimae stellae in catalogo novo obviae determinatae sint, iis exceptis, quas vel rejiciendas duxeram (vide infra), vel quae minores essent quam ut tuto conspicerentur in campo illuminato tubi meridiani. Interim observationes hae etiam continuantur, donec quaevis stella minime quater sit observata, nempe bis in utraque circuli positione. Restat jam id, ut volumina observationum Dorpatensium, sextum insequentia, publici juris faciamus quam citissime, tum ut opus aggrediamur ex diariis primo positionum apparentium deducendarum, deinde ex his mediarum calculo derivandarum. Cujus reductionis fundamenta sunt jacta in volumine sexto, quod in Introductione et stellarum fundamentalium exhibet ascensiones rectas, ex comparatione cum Sole deductas, et elementa ad declinationes calculandas inservientia, i. e. errores divisionis, flexionem et refractionem astronomicam ex ipsis nostris observationibus deductam. Speramus fore ut post paucos annos calculos omnes huc spectantes, quos statim aggredi in animo est, deo volente finitos exhibeamus. Tum huic mensurarum micrometricarum operi alterum

subjungemus, locos medios stellarum compositarum bene constitutos pro epocha media 1830 exhibens.

Quod jam ad eas observationes attinet, quibus opus hoc mensurarum micrometricarum est compositum et superstructum, magis minusve frequentes incidunt in singulos annos inde ab 1824 ad 1835. Si enim quidquid de stella aliqua composita in eadem nocte, cum ad distantiam tum ad directionem determinandam, observatum est, singulam nuncupamus mensuram: numerus mensurarum annis diversis perfectarum reperitur hic:

anno 1824	numerus =	30
1825		688
1826		58
1827		304
1828		1076
1829		1611
1830		498
1831		2169
1832		1949
1833		1153
1834		296
1835		616

Summa = 10448

Quae summa numerum exhibet mensurarum hoc opere contentarum. Numeros in singulis annis esse valde diversos, inde provenit, quod alii labores partem temporis sibi posebant modo majorem modo minorem. Annis scilicet 1824, 25, 26 et initio 1827 ipsa lustratio coeli ad duplices stellas detegendas et enumerandas peracta est. Cui cum imprimis anno 1826 vacarem, exiguus numerus 58 mensurarum per totum annum factarum facile explicatur. Huic accedit me mensibus aestivis annorum 1826 et 1827 a specula abfuisse, cum in mensura arcus meridiani ad finem perducenda occupatus essem. Ita finita die 18. Aprilis 1827 coeli recognitione, nil amplius hoc anno stellis duplicibus vacare potui, et mensuras micrometricas post intervallum demum 10 mensium recepi die 13. Februarii 1828. Eo majorem temporis et otii partem hoc ipso anno mensuris nostris dicare in votis erat. At vero crus ex casu adverso fractum per quinque hebdomades me lecto affixit et trium mensium lacunam in mensuris micrometricis produxit. Major est observationum anni 1829 numerus. Minor deinde anni 1830, cum per sex menses a specula abessem, in peregrinatione et speculas visitans et instituta mechanica et optica Germaniae, Parisiorum et Londini. Eo major evasit observationum numerus annis 1831 et 1832, in quorum decursu, si itinera nonnulla excipias inter Dorpatum et Petropolin et Moscoviam, nil occurrebat, quo observationes turbarentur. Minor numerus mensurarum anno 1833 institutarum eo explicatur, quod tum expeditio chronometrica, duce viro illustrissimo SCHUBERTO in mari Baltico perfecta, me per aliquot occupabat menses, tum sub finem anni novum mihi imponebatur munus, quod me saepius deinde a specula mea avocabat. Speculam scilicet novam splendidissimam, in imperio Rossico centralem, in vicinia urbis Petropolis condi jussit generosissimus Imperator NICOLAUS. Ut haec specula tum recte conderetur tum perfectissimis ornaretur apparatus, excellentissimus SERGIUS OUVAROVIVS, Caesaris in eruditione propaganda administer et Academiae praeses, collegium instituit ex quatuor Academiae membris compositum, cui hujus rei mandabatur cura. Praesidium collegii ex voluntate Imperatoris in se suscepit vir

suscepit vir illustrissimus GREIGIUS, summus classium praefectus et ipsius Academiae membrum honorarium. In hoc collegium mihi adscito jam frequentius erat visenda metropolis, et anno 1834 peregrinatio facienda, ut de instrumentis construendis cum artificibus Germaniae celeberrimis coram consulerem. Ita anno 1834 in stellis duplicibus observandis non multum progredi potui, et anno demum 1835 mensurarum seriem ita ad finem perducere successit, ut consilio proposito quantum valui respondisse mihi videar.

Unum jam superest referendum, quod ad laboris nostri pertinet historiam. Tanta est facilitas tubi nostri magni et in locum datum coeli dirigendi et ad mensuras adhibendi, ut socio laboris ad motus instrumenti perficiendos vix opus sit. Similis est facilitas motus ipsius turris, ejusque valvarum seu aperiendarum seu claudendarum. Hinc primis annis nullum mihi ortum est desiderium socii in auxilium vocandi, et observationes fere omnes ad mensuram 7731 usque tum sine auxilio perfeci, tum ipse in schedis conscripsi. Atvero conscriptio observationum factarum jacturam temporis efficit notabilem imprimis in tubi directionibus ad verticem proximis. Quae fuit caussa, cur postremis annis socium assumserim laboris, qui et in tubo dirigendo et in turri movenda auxilium ferret, atque numeros, ex micrometro lectos, dictatos in libro scriberet. Quo officio functi sunt, primum Sablerus, inde ex mense Octobri 1832 ad Majum usque 1833, deinde Pohrtius ad mensem Julium 1835 usque, denique Pahnschius et filius meus Otto Struve. Ita postremis temporibus me multum temporis et aliquantum praecisionis lucratum esse scio. Emolumenta deinde nova duo prodierunt. Socio scilicet erat occasio rationis observationum per instrumentum nostrum instituendarum accuratissime cognoscendae. Mihi vero non raro utile et gratum erat iudicium audire socii, imprimis in stellis vicinissime duplicibus, quarum compositio ex sola disci difformitate erat dijudicanda. Exempla hujus rei plura in textu invenies, p. 4, 5 et saepius.

APPARATUS MICROMETRICUS.

Ut mensurarum indolem et methodum observandi accuratius describere valeamus, primum est ut de apparatu micrometrico adhibito nonnulla exponamus.

Notum est duo fila aranea in micrometro filari esse extensa, quorum utrumque in lamina jacens metallica sua cochlea ita potest moveri, ut situs filorum semper maneat parallelus, dum directio per gyrum integrum potest mutari. Utriusque laminae motus est liber et sui juris. Nec se tangunt superficies laminarum proximae, in quibus fila in fossiculis orichalco incisus ita jacent, ut alterum possit alterum libere transmigrare per utriusque cochleae motum, i. e. ita ut fila sese non tangant, quamquam in distantia transeunt tam exigua, ut bene distincta simul appareant inspicienti. Quantum vero inter utriusque fili a vitro oculari distantiam intersit metiri studui. Si per oculare, cui est amplificatio maxima = 1000, filum ipsi propius in utroque margine bene distinctum conspicio, tum filum alterum paulo minus distinctum apparet, si summa attentione ipsum examino. Inveni opus esse motu 0,06 revolutionis cochleae, qua oculare apparatus micrometrico affigitur, ut secundum filum aequè distinctum sese offerat ac primum. Cum jam revolutio integra = 0,3 lineae Paris. sit, sequitur distantiam interaxes filorum, si in conjunctione sunt, esse 0,018 lineae Par.

Usus duarum cochlearum, per quas fila moventur, est diversus. Altera minori locus coincidentiae i. e. locus, in quo duo fila in unum apparent conjuncta, mutatur, altera major ad distantias angulares mensurandas adhibetur, quam ideo κατ' ἐξοχήν micrometricam nuncupabo cochleam. Ita id emolumentum nascitur, ut distantiae in diversis partibus cochleae majoris possint determinari. Hujus cochleae passus singulos angulo = 15",3 respondere infra videbimus. Cum jam scala, quae passus numerat integros, a 0 ad 80 extendatur, angulos ad 20",4 usque emetiri liceret, nisi limites coercerentur ex aliis caussis. Scilicet campus etiam minimae amplificationis est 17,9 tantum. Neque in extremitatibus campi mensura est tuta pro visus indistinctione, ita ut distantiae mensurandae nullo modo 12' excedere debeant, et, si majores adhibentur amplificationes, limites, inter quos angulorum metiendorum potestas datur, arctius semper contrahantur. In loco coincidentiae fila ambo ad unguem sibi parallela sint, opus est. Quod ut efficiatur alterum filum aliquantum in gyrum seorsim ab altero fixo potest moveri. Parallelismo perfectissimo effecto, filum etiam illud ita prorsus figitur, ut directionem relativam amplius non mutet. Parallelismus vero summa acie potest judicari, si fila proxime tangentia examinantur, cum minima directionis differentia perspiciatur ex lumine inter fila non aequali modo intercepto.

Directio filorum in circulo, qui vocatur positionum, orichalcino, corpori apparatus micrometrici affixo, legitur. Diameter circuli est 5,5 pollicum, divisionis vero in limbo argenteo exaratae 4,5 pollicum. Divisio ipsa 30' offert. Indices vero duo per Nonios singula dant minuta prima, quorum dimidia per taxationem legi possunt. Motus circularis filorum communis, qui seu manu seu cochlea perficitur, ita est divisioni concentricus, ut singuli Nonii semper ad unguem eandem offerant lectionem. Si tubum ad Orientem ab axi horario situm in punctum australe dirigis horizontis, tum numeri divisionis circuli positionum ita exarati inveniuntur, ut 0° sit ad Occidentem, 90° infra, 180° ad Orientem et 270° in loco supremo.

Si, fila coincidentia eundem servant in tubo locum, indicibus 180° mutatis, tum positio filorum est primaria, i. e. ea, quae per centrum circuli divisi transit. Haec positio locum habet, si index cochleae ad mensuras distantiarum inserientis in 38,00 est, qui numerus a media scala, 40,00, non multum distat. Methodus vero coincidentiae filorum observandae est simplicissima. Mobili filo per cochleam micrometricam ita bis ad fixum adducto, ut contactus fiat utrimque, media lectio ex duabus loco coincidentiae respondebit. Subdivisiones vero cochleae micrometricae in capite ejus circulari leguntur, diametri 22 linearum, diviso in 100 partes, quarum singula 0",153 respondet, et decimae, imo vicesimae subdivisiones etiam nudo oculo percipiuntur, quae 0",0153 et 0",0077 arcus expriment, ita ut apparatus facultatem praebet distantias ad centesimas minuti secundi partes in divisionibus legendi. Exemplum coincidentiae die 25. Oct. 1835 observatae est hoc:

fila tanguntur ex altera parte in 37,976 scalae,
ex altera parte in 38,046 scalae.

Medium = 38,011 = Coincidentia.

Si coincidentiae non in mediis sed utrimque in extremis observantur filis, de parallelismo filorum ex mensura judicare possumus, adhibitis imprimis ocularibus campi majoris. Quae observatio si in diversis scalae locis efficitur, certiores reddimur, utrum fila, dum per totam moventur scalam, parallelismum servant necne. Saepius quidem in tot mensurarum decursu de parallelismi constantia certior factus sum; at nuper de industria experimentis hunc in finem institutis rem denuo examinavi die 26. Oct. 1835, tubo in punctum culminans aequatoris directo et filis ad polum seu verticem monstrantibus.

Coincidentia filorum		$F - S$	Differentia a medio
in summa extremitate = S	in infima extremitate = F		
59,975	60,004	0,029 = + 0,44	+ 0,24
49,870	49,886	0,016 = + 0,24	+ 0,04
40,014	40,023	0,009 = + 0,14	- 0,06
30,196	30,200	0,004 = + 0,06	- 0,14
20,068	20,075	0,007 = + 0,11	- 0,09
		Medium 0,013 = + 0,20	

Cum diameter campi 17,9 = 1074", et $\frac{0,20}{1074} = \sin 38",4$ sit, angulus medius inter filorum directiones est 38",4, a quo in singulis positionibus differentiae sunt + 46", + 8", - 11", - 27", - 17". Unde apparet in motu per dimidiam scalam i. e. per 40 revolutiones producto fila parallelismum servare in partibus adeo minuti primi.

Ocularia in apparatu nostro micrometrico ab initio fuere 6, ab ipso Fraunhofero jam missa:

Oculare	Amplificatio	Campus
I	94	17,9
II	140	13,6
III	214	8,6
IV	320	6,2
V	480	2,8
VI	600	2,3

His deinde quatuor accesserunt fortiora, in instituto optico Monacensi meo voto postea perfecta:

Oculare	Amplificatio	Campus
VII	800	2,8
VIII	1000	1,8
IX	1500	1,5
X	2000	1,3

Ex quibus vero IX et X, quamquam in optima aëris conditione imagines fixarum offerunt bene definitas, ad mensuras nunquam usus sum. Ocularium vero VII et VIII inde ex mense Octobri 1832 usus erat frequentissimus, in stellis duplicibus praesertim vicinissimis et splendidissimis. Amplificationes vero supra allatae diversorum ocularium sunt eae, quas ab ipso Fraunhofero et postea ab Utzschneidero notatas acceperam, qualesque eorum auctoritate in toto mensurarum libro citatas invenies. Nuperrime vero per filorum projectionem has amplificationes ipse constitui et vires ocularium aliquanto minores inveni die 26. Octobris 1835 ita:

Oculare	Amplificatio
I	86
II	133
III	198
IV	254
V	420
VI	532
VII	682
VIII	848
IX	1150
X	1500

Fila aranea, quae ipse Fraunhoferus in laminis extenderat, tenuiora fuerant, quam quae cum fructu ad observationes possent adhiberi, cum in campo lucido noctu non viderentur, vix adeo interdiu. Nova fila itaque induxi, ex glomo, quo aranea circumtexit ova, devoluta. In spatio 11 annorum quater fila mutavi, prioribus ex casu ruptis. Nova, cum ex glomo eodem caperentur, ejusdem quam proxime erant diametri. Summa enim diametrorum accuratissime noscitur, si fila utrimque ita in contactum adducuntur, ut lineola inter ipsa lucida sit minima, quae etiam percipi possit; unde diametri veris tantillo majores evadunt.

Lineola vero illa angulum minimum offerre videtur, qui pro acie instrumenti optica possit conspici. Filis itaque saepius in talem contactum adductis, ex diversitate lectionum error probabilis derivari potest, qui in tali observatione occurrit. Observationes tales anno 1824 jam factas in descriptione telescopii nostri anno 1825 edita p. 16 communicaveram. Novas nuper institui has:

Contactus filorum ex eadem parte observatus per amplificationem = 1000	Differentia a medio
37,996	− 0,017 = − 0,026
37,996	− 0,017 = − 0,026
37,998	+ 0,003 = + 0,005
37,998	+ 0,003 = + 0,005
37,997	− 0,007 = − 0,011
37,9975	− 0,002 = − 0,003
37,9985	+ 0,008 = + 0,012
37,9985	+ 0,008 = + 0,012
37,9975	− 0,002 = − 0,003
37,997	− 0,007 = − 0,011
37,9985	+ 0,008 = + 0,012
37,998	+ 0,003 = + 0,005
37,998	+ 0,003 = + 0,005
37,998	+ 0,003 = + 0,005
37,9985	+ 0,008 = + 0,012
37,9985	+ 0,008 = + 0,012
Medium = 37,9977	

Ex differentiarum a medio quadratis singuli contactus observati error probabilis prodit $0,0086 = \frac{1}{116}$. Unde de praecisione singulae directionis, si ex sola visus acie, per amplificationem = 1000 producta, et ex passuum cochleae subtilitate pendet, iudicium fertur. Summa vero diametrorum ex anni 1824 mensuris $1,023$ prodiit, ex postremis anni 1835 vero in aliis filis habitis $1,072$. Quae quantitates, ob lineolae lucidae utrimque interjacentis spatium, aliquanto majores sunt, ita ut vera diametrorum summa proxime $1,00$, seu utriusque fili crassitudo = $0,5$ esse appareat.

Illuminatio filorum in nostro telescopio est duplex. Aut enim fila ipsa lucida videntur in campo obscuro, aut fila sunt obscura in campo illuminato. Certum est Fraunhoferum maximum attulisse astronomiae practicae emolumentum ingeniosissimo usu luminis a filo reflexi, quo filum conspici potest, lumine corporis coelestis observandi minime detrectato. Cometarum apparentium et nebularum in coelo obviarum positiones ea jam fide constituere valemus, quam forma ipsarum apparens admittit, figuras vero ex justis mensuris delineare. Stellae etiam subtilissimae, in campo illuminato oporsus evanescentes, ad fila lucida in campo obscuro tuto videntur, et ita relationes earum ad stellas lucidiores possunt examinari. Observationes Dorpatenses, de Cometa Enckiano anno 1828 institutae, usum hujus illuminationis jam extra dubium posuerunt. Altera occasione idem expertus sum emolumentum in Cometa Bieliano anno 1832 observando;

denique nuper mihi successit et Cometam Halleianum primis jam apparitionis temporibus ea determinare certitudine, ut errores probabiles locorum vix minutum secundum excederent. Praestantiam hujus illuminationis in cometis observandis repetita itaque probavit experientia. Eandem etiam ad nebulas coelestes valere, saepius edoctus sum. Ita exempli gratia anno 1832, clarissimo J. Southio, equite, speculam nostram visitante, diametrum nebulae annularis Lyrae summo consensu et certitudine sumus emensi, atque distantiam marginum ipsius a stella subtilissima in vicino jacenti. Nihilominus ratum habeo hanc illuminationem non esse adhibendam nisi in iis coeli phaenomenis observandis, quae in usitata campi illuminatione non distincte possunt videri. Certior est enim sine dubio, si stellae bene conspiciuntur, mensura in campo lucido per fila obscura, quam per fila lucida in campo obscuro. Cujus rei causa primaria est haec. Linea luminis a corpore cylindrico reflexi non constantem habet in ipso situm, cum a positione pendeat fili respectu ocularis et lampadis. Mutato itaque per cochleam fili situ, stellam non cum eodem fili comparamus puncto. Sed alter etiam occurrit errorum fons. Si stellam lucidam a filo lucido secatam conspicias, linea luminis reflexi in ipso puncto bisectionis evanescit, i. e. stella lucida in filo obscuro observatur, dum exiguam stellam cum linea lucida comparas. Hinc errores in distantis stellarum splendoris valde diversi oriuntur necesse est vix evitandi, nisi ita facis ut vel duas instituas mensuras adhibita illuminatione ex regionibus oppositis, vel in eadem mensura binis utaris lampadibus oppositis, quae non singulam producunt lineam, sed duplicem, mediis $0,46$ inter se distantibus. Unum etiam hic est monendum quod ad usum spectat illuminationis filorum. Ut fila lumen bene reflectant, eam lampadi des positionem necesse est, in qua planum per axem ocularis et lampadem normale est in filorum directionem. Lampas hunc in finem circa axem ocularis, seu totius apparatus est mobilis. Facili jam negotio positionem invenies lampadis idoneam pro quovis filorum situ ex ipso maximo in his fulgore. Si denique nimium lampadis lumen per umbellam temperatur idoneam, et fulgor filorum ad libitum deminuitur, atque totus campus ita obscuratur, ut stellae debilissimae tuto possint observari.

Pretium revolutionis cochleae micrometricae duabus methodis constitui prorsus diversis. Prima erat ea, ut distantiae tubi focalis et passuum cochleae lineares determinarem dimensiones. Disquisitio haec summa cura est perfecta initio anni 1827, quamquam jam antea pretium revolutionis per approximationem cognoveram satis justam.

- 1) Primo inveni in temperatura $= + 1^{\circ},0 R$, scalae divisiones $= s$, quae integras indicant revolutiones, ipsius cochleae meatibus $= m$ ad unguem esse aequales, ita ut divisionem opera cochleae factam esse supponere liceat. Sive enim index, examine per microscopium habito, in primam monstrat divisionem, seu in postremam, subdivisio prorsus eadem legitur in capite cochleae.
- 2) In eadem temperatura $= + 1^{\circ},0 R$ scalae longitudinem inter primas quatuor et totidem postremas lineolas comparavi cum scala metrica orichalcina a Lenoirio perfecta et bene divisa. Quem in finem circinum ita adhibui micrometricum, lentibus amplificantiibus instructum, ut longitudinem ex scala micrometri depromptam in scala metrica repetitis delinearem vicibus, per lineolas subtilissimas acubus circini ductas, et residuum inter postremam lineolam et proximam metri divisionem in ipsa micrometri scala emetirer. Ita ex tribus operationibus inter se prorsus diversis inveni:

0,094 metri = 289,65 s; unde $s = 0,00032453$ metri.

0,100 metri = 308,33 s; unde $s = 0,00032432$ metri.

0,110 metri = 339,14 s; unde $s = 0,00032435$ metri.

Sumto medio est $s = 0,00032440$ metri = m .

3) Postquam in eadem proxime temperatura fila in focum telescopii adduxeram, distantiam focalem determinavi, i. e. distantiam filorum a media lente objectiva. Hunc in finem magnas regulas adhibui duas, ex ligno abiegnis confectas, quae minori regula circa axes mobili ex altera extremitate tamquam in jugum connectebantur. In positione jam tubi verticali minor regula cistae orichalcinae lentis objectivae imponebatur, ita ut duae magnae regulae ex utraque parte tubi in directione axi tubi parallela dependerent. In his deinde distantia extremitatis tubi infimae a margine superiore cistae objectivae utrimque per lineolas designabatur, opera regulae mobilis ductas. Distantiae lineolarum ductarum a regala jugali secundum scalam metricam orichalcinam sunt constitutae. Postea cistae objectivae altitudinem sum emensus, tum superficierum lentis objectivae et anterioris et posterioris distantias a planis per cistae margines transeuntibus, denique tubi extremitatis distantiam a plano focali in axem verticali. Dimensiones, quas reperi, sunt hae:

a) distantia marginis superioris cistae orichalcinae, qua lens objectiva continetur, a margine inferiore orichalcino magni tubi, $A = 4,1187$ metra;

b) distantia ejusdem marginis superioris cistae a plano scalae micrometricae divisae, $B = 4,4024$ metra;

c) differentia inter A et B directe mensurata $C = 0,2842$ metri;

d) distantia inter planum focale et planum scalae, $D = 0,0051$ metri;

e) distantia inter margines cistae objectivae seu altitudo ipsius, $E = 0,0669$ metri;

f) distantia superficiei anterioris vitri objectivi a plano superioris marginis cistae $F = 0,0115$ metri;

g) distantia superficiei posterioris vitri objectivi a plano inferioris marginis cistae $G = 0,0220$ metri.

Hinc evadit crassitudo vitri objectivi = $E - (F + G) = 0,0334$ metri, cujus dimidium = $0,0167$ metri = H . Quibus adhibitis dimensionibus distantia focalis telescopii = L derivatur duplici via:

1.	2.
$A = 4,1187$ metra.	
$+ C = + 0,2842$ metri.	$B = 4,4024$ metra.
$- D = - 0,0051$ metri.	$- D = - 0,0051$ metri.
$- F = - 0,0115$ metri.	$- F = - 0,0115$ metri.
$- H = - 0,0167$ metri.	$- H = - 0,0167$ metri.
Atque $L = 4,3696$ metra.	$L = 4,3691$ metra.

Unde sumto medio:

$$L = 4,36935 \text{ metra} = 161,41 \text{ pollices Parisinos.}$$

Ex L et m jam sequitur pretium passus cochleae angulare per:

$$r = \frac{m}{L \cdot \sin 1''} = \frac{0,00032440}{4,36935 \cdot \sin 1''} = 15'',3140;$$

quod pretium pro temperatura + $1^\circ R$ valet.

Altera methodus ad pretium revolutionis cochleae inveniendum adhibita fuit haec. In agro, qui ad Boream jacet urbis, basin emensus sum die 15 Octobris 1833 opera perticarum

linearum. in quibus distantiam trium hexapedarum Parisinarum per subtiles notaveram lineolas. Longitudo horizontalis basis provenit = 12708,60 poll. Par. Altera mensura, adhibitis perticis duas tantum hexapedas ferentibus, eandem basin = 12709,40 poll. dabat. Medium 12709,00 pollicum Paris. ad fractionem pollicis certum erat. Hujus mensurae unitas erat orgyia Parisina a Lennellio fabricata. Et basis mensura, et orgyiae in perticas translatio in temperatura + 5° R. instituebantur. Basis haec $AB = c$ erat latus unum trianguli, cujus tertium punctum C in centro lentis objectivae tubi Fraunhoferiani in A directi erat situm. Angulum horizontalem in C summa certitudine theodolitus Ertelii offerebat ita:

$$\begin{array}{r} 9^{\circ} 20' 1''{,}14 \text{ ex mensura Preussii,} \\ 9 19 59,93 \text{ ex mensura mea.} \end{array}$$

$$\text{Sumto medio } C = 9 20 0,53.$$

Duo reliqui anguli per minus instrumentum, quod vocatur universale, cujus diameter horizontalis est 5 pollicum, sunt mensurati. Tres anguli erant hi:

$$C = 9^{\circ} 20' 0''{,}53$$

$$A = 79 18 19$$

$$B = 91 21 55$$

$$\text{Summa} = 180 0 14,53$$

Error hic 14'',53 ex angulis A et B minori certitudine observatis proveniebat, cum C summa esset praecisione. Utrumque angulum et A et B dimidio correxi errore, et pro B acquievi in $91^{\circ}21'47''$. Quo adhibito prodit distantia horizontalis:

$$b = AC = c \cdot \frac{\sin B}{\sin C} = 78341,16 \text{ poll. Par.}$$

Apparet hujus lineae certitudinem, quatenus ex angulis pendet, errore in B minime affectam esse. Supponamus errores probabiles in C et B fuisse $dC = 1''$, $dB = 10''$, ex utroque prodit error probabilis in b seu $db = 2,31 \text{ poll.} = \frac{1}{43800} b$. Punctum A in trabe terrae infossa erat definitum.

Deinde in altera pertica lineam distantiam 18 pedum ex eadem orgyia Parisina delineavi die 3. Novembris, cum eadem esset temperatura = + 5°,0 R, et per disculos albos in fundo nigro designavi. Simili modo singulos notavi pedes, ita ut in pertica nigra 19 apparerent disculi albi, quorum centra ad unguem in eadem essent linea recta, et in aequali pedis distantia. Perticam hanc prope punctum A exposui, ita ut distantia horizontalis mediae perticae a vitro objectivo telescopii 16,13 pollicibus lineam b excederet, seu esset $b' = 78357,29 \text{ poll.}$ Ex b' et ex distantia perticae a vertice in C observata = $90^{\circ}45'30''$ sequitur vera inter mediam perticam et lentem objectivam telescopii longitudo:

$$E = 78364,15 \text{ poll. Paris.}$$

Cum pertica ita collocata esset, ut directio ipsius cum linea E angulum 90° formaret, disci extremi ex centro lentis objectivae conspiciantur sub angulo:

$$U = 568''{,}541$$

Hinc sequitur angulum inter centra duorum discorum singulo pede distantium ex eodem puncto fuisse:

$$u = 31''{,}5856.$$

Singulis vero discis diameter erat 9,3 linearum, seu apparens diameter = $2''{,}04$. At figura eorum erat summae regularitatis, et distantias eam adhibui curam, ut error centrorum $\frac{1}{40}$ lineae seu $\frac{1}{140000}''$ non excederet.

Jam tubo in perticam directo id curavi, ut adhibita amplificatione = 480, tum fila bene viderentur, tum disci perticae omni praecisione definiti apparerent. Quo facto mensuras angulorum inter discos 0 ad XVIII formatorum per idoneas amplificationes minores incepti, quas nunc exponam. In sequentibus filum illud, quod per cochleam principalem micrometricam movetur per *A* designabo, alterum vero per *B*, quod in quavis mensura fixum est, quamquam sua cochlea situm mutare potest, ita ut mensurae in diversis cochleae micrometricae partibus perficiantur.

M E N S U R A I.					
<i>Amplificatio</i> = 140, <i>campus</i> = 13',6.					
Filum <i>B</i> direxi in discum IX, seu medium inter extremos, at filum <i>A</i> primum in <i>O</i> , deinde in XVIII ductum est.					
	<i>B</i> in IX <i>A</i> in <i>O</i>	<i>B</i> in IX <i>A</i> in XVIII	<i>U</i> =		
1	20',628	57',818	37',190		
2	2, 641	39, 822	37, 181		
3	39, 700	76, 890	37, 190		
M E N S U R A II.					
<i>Amplificatio</i> = 94, <i>campus</i> = 17',9.					
Filum <i>B</i> in XVIII, filum <i>A</i> in <i>O</i> est directum, deinde per motum tubi <i>B</i> in <i>O</i> venit et <i>A</i> per cochleam in XVIII est adductum.					
	<i>B</i> in XVIII <i>A</i> in <i>O</i>	<i>B</i> in <i>O</i> <i>A</i> in XVIII	2 <i>U</i> =	<i>U</i> =	
1	0',890	75',271	74',381	37',190	
2	0, 895	75, 239	74, 344	37, 172	
M E N S U R A III.					
<i>Amplificatio</i> = 320, <i>campus</i> = 6',2.					
1	<i>B</i> in	<i>II</i> directo,	<i>A</i> primum in	<i>O</i> tum in	<i>IV</i> ducitur
2	—	<i>VI</i> —	—	<i>IV</i> —	<i>VIII</i> —
3	—	<i>X</i> —	—	<i>VIII</i> —	<i>XII</i> —
4	—	<i>XIV</i> —	—	<i>XII</i> —	<i>XVI</i> —
5	—	<i>XVII</i> —	—	<i>XVI</i> —	<i>XVIII</i> —
1	19',864	28',130	$\frac{2}{3} U = 8',266$		
2	28, 157	36, 421	$\frac{1}{3} U = 8, 264$		
3	36, 454	44, 723	$\frac{2}{3} U = 8, 269$		
4	44, 713	52, 967	$\frac{1}{3} U = 8, 254$		
5	53, 047	57, 174	$\frac{1}{3} U = 4, 127$		
			$\overline{U = 37, 180.}$		

MENSURA IV.					
<i>Amplificatio = 480, campus = 2,8.</i>					
1	<i>B in</i>	<i>I directo,</i>	<i>A primum in</i>	<i>O tum in</i>	<i>II ducitur</i>
2	— III	—	—	II	— IV —
3	— V	—	—	IV	— VI —
4	— VII	—	—	VI	— VIII —
5	— IX	—	—	VIII	— X —
6	— XI	—	—	X	— XII —
7	— XIII	—	—	XII	— XIV —
8	— XV	—	—	XIV	— XVI —
9	— XVII	—	—	XVI	— XVIII —

1	19,954	24,090	$\frac{1}{2} U = 4,136$
2	24,126	28,264	$\frac{1}{2} U = 4,138$
3	28,282	32,414	$\frac{1}{2} U = 4,132$
4	32,407	36,567	$\frac{1}{2} U = 4,160$
5	36,613	40,740	$\frac{1}{2} U = 4,127$
6	40,734	44,858	$\frac{1}{2} U = 4,124$
7	44,854	48,984	$\frac{1}{2} U = 4,130$
8	49,004	53,142	$\frac{1}{2} U = 4,138$
9	53,198	57,323	$\frac{1}{2} U = 4,125$
			$U = 37,210.$

Quaevis mensura distantiae inter duo puncta jam ad pretium passus cochleae determinandum inservit. Ita exempli gratia primum $U = 37,190$, pro r dat:

$$r = \frac{568,541}{37,190} = 15,2875.$$

Sed ut medium recte deducatur, cujusque mensurae pondus relativum datum sit oportet. Supponi possit pondera esse in proportione amplificationum. Certius vero mihi visum est singula U adhibere, qualia obtulerunt mensurae allatae. Ita nobis haec proveniunt:

Mensura	$U =$	$r =$
I	37,190	15,2875
I	37,181	15,2911
I	37,190	15,2875
II	37,190	15,2875
II	37,172	15,2949
III	37,180	15,2916
IV	37,210	15,2792
		Medium $r = 15,2885$

Cum in omnibus his mensuris, per coelum nubibus tectum institutis, temperatura vix exiguis gradus fractionibus mutaretur, et in medio proxime $= +5,0 R.$ fuisset i. e. eadem in qua et basis est mensurata et discorum distantiae in perticis sunt positae, hanc quantitatem pretii passus cochleae pro temperatura $+5,0 R.$ valere apparet.

Si jam $r = 15'',2885$ adhibemus, unaquaeque observatio in quatuor seriebus perfecta, cum distantia angulari ex discorum intervallis cognita potest comparari, unde singularum observationum errores proveniunt. In qua comparatione mensuras ita spectamus, ac si inter duas stellas institutae ex duplici observatione utrimque a filo B distantiam stellarum dent simplicem cognoscendam.

Mensura	Distantia vera ex discorum intervallo	Distantia ex mensura micrometrica	Error mensurae micrometricae
I. 1	284'',270	284'',290	+ 0'',020
2		284, 225	— 0, 045
3		274, 290	+ 0, 020
II. 1	568, 541	568, 587	+ 0, 046
2		568, 304	— 0, 237
III. 1	63, 171	63, 187	+ 0, 016
2		63, 172	+ 0, 001
3		63, 210	+ 0, 039
4		63, 096	— 0, 075
5	31, 586	31, 548	— 0, 038
IV. 1	31, 586	31, 617	+ 0, 031
2		31, 652	+ 0, 046
3		31, 586	+ 0, 000
4		31, 800	+ 0, 214
5		31, 548	— 0, 038
6		31, 525	— 0, 061
7		31, 571	— 0, 015
8		31, 632	+ 0, 046
9		31, 533	— 0, 053

Errores residui tam sunt exigui, ut primo loco regularitatem cochleae in omnibus ejus partibus obviam extra dubitationem ponant, deinde etiam singularem virtutem apparatus nostri ad angulos metiendos luculenter comprobent. Animadvertas velim in mensura I. 1 per passus cochleae medios utrimque a numero scalae 39',0 mensuram esse factam, in I. 2 per primos a 2',0 ad 40',0, in I. 3 per postremos passus a 40',0 ad 77',0. Aequalitas mensurarum cochleae aequalitatem in tota ejus longitudine arguit.

At vero pretium passus cochleae $r = 15'',2885$ non pro radiis valet parallelis sed ex distantia 78364 pollicum divergentibus. Distantia focalis pro his radiis divergentibus L' est major quam $L = 161,41$ poll. supra p. 14 allata, in proportione $(78364 + 161,41) : 78364 = 1,002060 : 1$, seu $L' = 161,7425$ poll. Hinc pro radiis lucis parallelis et temperatura + 5°,0 R. evadit:

$$r = 15'',3200.$$

Methodis itaque plane diversis accepimus pro radiis parallelis:

1. $r = 15'',3140$ pro $t = + 1°,0$ R.

2. $r = 15'',3200$ pro $t = + 5°,0$ R.

Secunda determinatio priore aliquanto certior est, cum et ab erroribus constantibus libera sit, et singularum mensurarum eximium offerat consensum. In priori vero methodo ex duobus fontibus erratum potest esse aliquid, cum et punctum axis optici, inter superficies

vitrorum objectivorum extremas medium, pro centro lentis objectivae acceperim, et supersit dubitatio num passus cochleae omni praecisione cum scalae divisionibus in ea temperatura conveniant. Pretium inter utrumque medium est:

$$r = 15",3170 \text{ pro } t = + 3",0 \text{ R.}$$

Quae temperatura proxime media est omnium mensurarum micrometricarum nostrarum de stellis duplicibus in catalogo nostro contentis institutarum. Rarissime enim tantum mensurae sunt factae in temperatura minori quam -15° R. , cum aër extra hunc terminum plerumque observationibus hujus generis non faveat. Raro etiam in observationibus temperatura ad $+ 20^\circ \text{ R.}$ ascendit. Numerus mensurarum pro diversis temperaturis eo major fuisse videtur, quo propius temperaturam ad $+ 3^\circ$ fuisse accipias.

Pretium revolutionis cochleae cum calore variari necesse est, qui et distantiam focalem lentis objectivae mutat et longitudinem cochleae. Ut hunc temperaturae effectum numeris constituerem, distantiam inter duas stellas sextae magnitudinis 28 et ρ Cephei, quae est $567''$, et hieme et aestate repetitis vicibus et maxima diligentia interdum sum emensus. Respectis et refractionis et aberrationis actionibus, ex comparatis mensuris prodiit, aucto calore singulo gradu thermometri Reaumuriani pretium cochleae angulare deminui quantitate $0",001038$, seu pro temperatura $t^\circ \text{ R.}$ pretium revolutionis cochleae esse:

$$r = 15",3170 - 0",001038 (t - 3,0)$$

Pro temperaturis extremis, in quibus mensurae sunt factae, jam exit:

$$\text{si } t = + 20^\circ \text{ R., } r = 15",2994;$$

$$\text{si } t = - 15^\circ \text{ R., } r = 15",3357.$$

Mutationis hujus in stellarum catalogi nostri distantis calculandis respectum non habui, sed constans assumsi:

$$r = 15",3150.$$

Scilicet in stellis intra $32''$ vicinis error exstitit singulae mensurae non $0",04$ superans. At in media distantia ex pluribus observationibus error vix mansit $0",02$, et pro stellis intra $16''$ vicinis vix $0",01$. Attentione dignum est incrementum distantiae focalis vitri objectivi ex calore majoris esse rationis quam cochleae dilatationem. Hoc convenit cum disquisitionibus Besseli de pretio scalae heliometricae in Obs. Reg. XV. p. XXII datis. Apparet non solam linearem vitri expansionem in distantiam focalem agere, sed etiam differentiam inter utriusque lentis dilatationes.

*DE MOTU TELESCOPII PARALLACTICO CONTINUO,
OPERA HOROLOGII EFFECTO.*

Apparatus, qui ad motum hunc ciendum inservit, ut simplicissimus est constructione, ita experientia perfectissimum et summa laude dignum se probavit. Quis enim negare potest maximum ex eo jam prodire commodum, quod in phaenomeno coelesti contemplando, non amplius stellae per motum instrumenti in medio campo retinendae cura distractus, unice observationi possis vacare. Quanto majori fructu amplificationibus jam uteris maximis, cum stellae non transvolent, sed quietae in medio sedeant campo. Coelum observatur aequae ac si terra circa axem non moveatur. Longe vero majus quam in contemplationibus coeli est emolumentum, si inter stellas mensurae micrometricae sunt instituendae. Non solum in eodem temporis intervallo numerus mensurarum perficitur longe major, sed quaevis mensura tantum lucratur praecisionis, ut qui semel micrometrum adhibuit, dum motus ab horologio producebatur, is nunquam mensuram faciet per instrumentum manu movendum. In omnibus itaque mensuris, quas liber hic continet, sine ulla exceptione motus telescopii horologio perfectus est. Scilicet apparatus hic plus jam undecim annos semper optime ad propositum inserviebat, non minus tempore hiemali, quam aestivo, dummodo id curaveris, ut horologium bene purgatum et magnae cochleae duae oleo sufficienti sint imbutae. Horologii mechanismum fusius exposui in descriptione instrumenti, Dörpati 1825 edita, p. 6. Ex qua videbis motus ab horologio communicati celeritatem in quavis occasione facili negotio et augeri posse et deminui. Qua mutatione uteris ad motus aequalitatem restituendam, qui paululum interdum turbatur ex pondere manubrii, quo manus motum in declinatione efficit. Et maximi sane est momenti, motus telescopii et coeli eosdem esse, imprimis in majoribus distantis mensurandis et in maximis amplificationibus adhibendis. Interim commodum affert, si motus instrumenti quam coeli est paululo celerior. Si enim stella a filis exiguo discesserit spatio, per flexionem, ex tubo digitis presso ortam, stellam summa praecisione in filis ipsis retinere poteris. Sed arduum foret singula artificia enarrare, quae multorum annorum experientia in motu aptissime ad mensuras regulando edoctus sum, qui aut manubrio ad cochleam horariam porrecto aut ipso efficitur horologio. Qui simili utetur apparatu, facili is negotio omnia deteget emolumenta, quae incomparabilis instrumenti auctor observanti obtulit.

4.

*METHODUS OBSERVANDI ANGULOS POSITIONIS
SEU DIRECTIONIS INTER DUAS STELLAS.*

Angulus quem circulus a stella majori in alteram minorem ductus cum circulo declinationum per priorem transeuntem fingit, nuncupatur angulus positionis = P , qui ita est intelligendus, ut sit $P = 0$ si comes est ad Boream a majori in eodem circulo declinationis, et $P = 90^\circ$ pro comite ejusdem declinationis in ascensione recta sequente. Quae angulorum designatio, Herschelii II. et Besselii jure commendata, nunc ab omnibus fere astronomis recepta est. Non vero directio circuli declinationum in circulo positionum diviso ex observationibus datur, sed directio motus diurni in circulo declinationis perpendicularis. Positio vero fili motui diurno respondens duabus viis potest cognosci. Altera est ea, ut videas num stella, per motum diurnum in instrumento immoto progrediens in utraque fili extremitate eodem modo a filo secetur. Altera in eo consistit, ut examines num, moto instrumento circa axem horarium, stella et intrans in campum et exiens a filo secetur. Sit T' directio prior fili, data ex lectione ejus indicis, qui ex illa parte jacet, unde motus apparens in campo incipere videtur; T vero directio posterior. Facile intelliges $T = T'$ esse, si axis instrumenti horarius est parallelus axi coelesti. Si vero polus instrumenti a polo coeli distat, tum T' variabilis est pro diversis tubi directionibus, dum T in omnibus ejus positionibus est constans, seu 180° mutatur. Duae enim positionis tubi species sunt distinguendae. Aut enim, si stellam aequatoris culminantem spectas, tubus ad laevam situs est ab axi horario, quae est positio I.; aut ad dextram, quae positio II. est. Eademque manet positio in omnibus tubi directionibus, ad quas ita pervenire potes, ut tubus per polum non transeat. Utrique speciei suum est T , alterum ab altero 180° diversum. Multo vero est aptius constantem determinare fili directionem T , quam variabilem T' .

Ut jam pro stella duplici angulum P accipiamus, positio indicis pro directione filorum lineae stellas jungenti parallela est observanda. In stellis satis splendidis et distantiae non exiguae tutissimum est utramque stellam per filum dissecare. Si vero stellarum magnitudines sunt valde diversae, praesertim si alterius diametros est tam exilis, ut a filo prorsus tegatur, si porro stellarum distantia est exigua: tum optimum est stellas in medio spatio inter duo fila observare, directionemque lineae centra stellarum jungentis cum utroque comparare filo. Si jam VV est lectio ejus indicis, qui in eadem jacet regione cum imagine stellae minoris in tubo conspectae, erit

$$P = 90^\circ + T - VV.$$

Die 31. Augusti 1835 in tubi positione II. inveni $T = 180^{\circ}22',5$. Pro stella notissima duplici 61 Cygni W series ita observavi:

$$\begin{aligned} W &= 175,5 \\ &= 176,7 \\ &= 176,5 \\ &= 175,5 \\ &= 176,8 \\ &= 176,1 \end{aligned}$$

$$\text{Medium } W = 176,183 = 176^{\circ}11'.$$

Hinc jam $P = 90^{\circ} + 180^{\circ}22',5 - 176^{\circ}11' = 94^{\circ}11',5$. In hoc casu angulus W est sexies observatus, i. e. toties filum in positionem adduxi lineae stellae jungenti parallelam et indices ex divisione legi. In pluribus vero occasionibus hoc bis tantum factum est, alias ter, quater aut saepius, sicut pro difficultate mensurae et aëris conditione idoneum visum est, donec ratum habebam W ita esse constitutum, ut nil fere adderem praecisioni aucto mensurarum numero.

Angulus vero P ita acceptus non ad polum coeli est relatus sed ad polum instrumenti. Sit in Figura I. polus instrumenti in J , in C vero polus coeli, stellae duae in S et s : est $P = JSs$ angulus positionis ad J relatus, $P' = CSs$ angulus ad polum coeli C relatus. Si CM est meridianus verus, ita ut M sit punctum culminans aequatoris, tum JM vocari potest meridianus instrumenti, et anguli horarii in circulo axi affixo ab hoc meridiano incipiunt, si indices sunt bene dispositi. Positio poli coelestis erga polum instrumenti datur per distantiam $JC = e$, et angulum $MJC = A$. Si jam stellae declinatio est δ , et angulus stellae horarius ex instrumento lectus $MJS = t$, tum apparet esse:

$$P' = P + dP = P + e \cdot \sin(A - t) \cdot \sec \delta;$$

in qua formula supponitur e esse tam parvum, ut quadratum evanescat, ex quo sequitur pro t etiam verum angulum horarium $t' = MGS$ posse adhiberi. Correctionis hujus respectum habui in iis stellis tantum, quae polo intra 20° sunt viciniae. In reliquis eam neglexi, cum pro distantia minori quam $32''$ prorsus evanescat. Si enim $e = 1'$, tum maximum $dP = \mp 1'' \cdot \sec \delta = \mp 2',92$ pro declinatione 70° . At $32'' \cdot \sin 2',92 = 0',027$ tantum. In stellis vero polo propioribus aut si distantia inter stellae magna est, hujus correctionis respectum habui, quoties intererat. Eum in finem tempus observationis notabatur sidérale, seu angulus horarius ex circulo instrumenti lectus. Omnes itaque anguli, quos liber hic offert, sunt P' i. e. ob relationem inter coeli et instrumenti polos jam correcti. Exemplum hujus correctionis offert stella 1717 inter omnes nostras duplices polo proxima. Diarium diei 5. Aprilis 1833 observationem offert hanc:

$$t = -8'40'' \text{ temp.} = -2'10'; \delta = 89^{\circ}35',9.$$

$$T = 359^{\circ},42; W = 107^{\circ},85; \text{ hinc } P = 89^{\circ},42 + 107^{\circ},85 = 341^{\circ},57.$$

Declinatio non est catalogi, sed eo ipso die observata et propter indicis errorem et refractionem jam correcta. Erat porro pro ea epocha;

$$e = 91'',2 = 1',52; A = 157^{\circ}24'.$$

Hinc jam sequitur:

$$dP = 1',52 \cdot \sin(157^{\circ}24' + 2'10') \cdot \sec 89^{\circ}35',9 = +75',7 = +1',26.$$

$$P' = 341^{\circ},57 + 1',26 = 342^{\circ},83.$$

Talem invenies angulum positionis suo loco p. 240 libro illatum.

Non alienum est hoc loco observationes designare, quae et ad relationem inter polum coeli atque instrumenti constituendam, et ad angulos, qui inter tres instrumenti axes primarios locum habent, determinandos valebant, et calculi methodum brevi exponere.

Si motum apparentem diurnum stellae alicujus polo intra 3°30' vicinae spectamus, hic non in circulo perficitur, sed proxime in ellipsi aliqua, cujus minor axis in meridiano jacet, dum centrum non est verus polus, sed polus refractione mutatus. Sit in Figura II. C' locus hic poli apparens, $DBEA$ ellipsis motus diurni apparentis, at $D'BE'A$ circulus huic analogus radii $CA = 90^\circ - \delta = p$. Si supponimus stellam in hoc circulo uniformiter moveri, errorem committimus, cum apparens locus stellae non sit in puncto F' circuli, sed in analogo puncto F ellipseos. Sint z et t distantia a vertice et angulus horarius apparentes, z' et t' correspondentes pro loco in circulo; erit, si $DD' = m$ et $\frac{m}{p} = u$:

$$z = z' + m \cdot \cos t \text{ et } \tan g t = \frac{\tan g t'}{1-u};$$

$$t - t' = \frac{\frac{1}{2}u}{\sin 1''} \sin 2t.$$

Si φ est latitudo et 57",4 constans numerus refractionis, invenies:

$$m = \frac{57'' \cdot A \cdot \sin p}{\sin^2 \varphi}, \text{ unde } u = \frac{57'' \cdot A \cdot \sin 1''}{\sin^2 \varphi};$$

$$t - t' = \frac{28'' \cdot 7}{\sin^2 \varphi} \cdot \sin 2t \text{ in arcu} = \frac{1'' \cdot 91}{\sin^2 \varphi} \cdot \sin 2t \text{ in tempore.}$$

Videmus $t - t'$ esse quantitatem a declinatione stellae independentem. Dorpati vero est:

$$t - t' = 2'' \cdot 58 \cdot \sin 2t = \tau.$$

Si itaque transitum stellae polaris per filum in tubo nostro axi parallelum observamus, tempori notato est adjicienda correctio $\tau = 2'' \cdot 58 \sin 2t$, ut tempus respondeat motui stellae uniformi circa polum apparentem. Tabula sequens pro Dorpato exhibet quantitatem τ pro vicenis temporis minutis primis.

Angulus horarius	$\tau =$	Angulus horarius	$\tau =$
0 ^h et 12 ^h 0'	0",00	6 ^h et 18 ^h 0'	0",00
20	+ 0,44	20	- 0,44
40	+ 0,88	40	- 0,88
1 ^h et 13 ^h 0	+ 1,29	7 ^h et 19 ^h 0	- 1,29
20	+ 1,66	20	- 1,66
40	+ 1,98	40	- 1,98
2 ^h et 14 ^h 0	+ 2,23	8 ^h et 20 ^h 0	- 2,23
20	+ 2,42	20	- 2,42
40	+ 2,54	40	- 2,54
3 ^h et 15 ^h 0	+ 2,58	9 ^h et 21 ^h 0	- 2,58
20	+ 2,54	20	- 2,54
40	+ 2,42	40	- 2,42
4 ^h et 16 ^h 0	+ 2,23	10 ^h et 22 ^h 0	- 2,23
20	+ 1,98	20	- 1,98
40	+ 1,66	40	- 1,66
5 ^h et 17 ^h 0	+ 1,29	11 ^h et 23 ^h 0	- 1,29
20	+ 0,88	20	- 0,88
40	+ 0,44	40	- 0,44
6 ^h et 18 ^h 0	0,00	12 ^h et 0 ^h 0	0,00

Facillimum jam erit hujus tabulae auxilio polum instrumenti primum comparare cum polo apparenti coeli, deinde refractione polari calculata cum vero polo.

Quaerimus vero, praeter poli coelestis erga polum instrumenti positionem, et angulum inter axem horarium et axem declinationis $90^\circ + 15 b$ (ubi b est positivum si stella propter b filum prius attingit, quam si angulus est $= 90^\circ 0' 0''$), et angulum $90^\circ + 15 c$ inter axem declinationis et axem opticum tubi pro eo filorum conjunctorum situ, quo in circulo declinationum jacentia per centrum rotationis apparatus micrometrici transeunt, (quae est coincidentia prope 38,0 scalae). Etiam c positivum sumimus, si propter c stellae ad filum appulsus prior fit.

Angulum c a reliquis quantitibus separatim accipimus, si stellam aequatoris culminantem in utraque positione tubi I. et II. per filum micrometri in declinationis circulo dispositum transeuntem observamus, notato et tempore horologii et angulo ex circulo horario. Si porro stellam polarem alteram eadem via observamus prope culminationem, effectus communis manifestatur quantitatum b et c ; unde antea c cognito b accipitur. Si una cum polari stellam fundamentalem in AR vicinam eodem modo observamus, tum deviatio circuli declinationis ab instrumento prope meridianum descripti a polo coelesti manifestatur. Sed alteram etiam stellam polarem observemus prope angulum horarium 6 seu 18 horarum. Quae observatio propter pedem instrumenti impediens in una tantum tubi positione potest perfici, in 6 horis in I., in 18 horis in II. Haec observatio dabit distantiam a polo coelesti ejus circuli declinationis instrumenti, qui est perpendicularis in meridianum. Ex duorum circulorum intersectione innotescet poli coelestis a polo instrumenti et distantia et directio per calculum simplicissimum, cum nil aliud adhibeas quam formulas in rectificatione tubi culminatorii usitatas. Monendum est ex duabus observationibus semper medium sumendum esse, quae in duabus fili positionibus, in circulo positionum 180° diversis, instituuntur, ut fili excentricitas eliminetur, dum differentia ipsam dat fili excentricitatem, pro hac indicis cochleae positione, e. g. 38,00.

Exemplo rem illustrabo. Exeunte mense Julio 1835 instrumentum nostrum in partes suas est divisum. Partibus deinde omnino mundatis et, ubi opus erat, novo oleo imbutis, instrumentum in pristinam conditionem est restitutum. Qua occasione etiam lentes objectivas separavi cauteque deterasas reposui. Jam die 12. Augusti sequentes observavi transitus stellarum per filum, in 38,00 scalae fixum, secundum horologium Utzschneideri, tempus sidereum quam proxime sequens.

Therm. exterum $= +13^\circ,6 R$, barom. $= 334,0$ lin. Par., therm. in barom. $= +14^\circ,1 R$.

	Nomen stellae	Positio instrum.	Tempus transitus per filum	Angulus in circulo horario	Culminatio incorrecta	Culminatio media ex a et b
1	δ Ursae min.	I	a 18 ^h 33 ^m 37 ^s	0 ^h 6 ^m 49 ^s	18 ^h 26 ^m 48 ^s	18 ^h 26 ^m 43 ^s ,5
			b 36 48	10 9	26 39	
2	α Lyrae	I	b 39 52,6	0 8 2	18 31 50,6	18 31 51,5
			a 41 27,3	9 35	31 52,3	
3	α Lyrae	II	a 45 14,7	0 13 33	18 31 41,7	18 31 41,0
			b 47 54,4	16 14	31 40,4	
4	δ Ursae min.	II	b 52 54	0 27 48	18 25 6	18 25 1,5
			a 55 21	30 24	24 57	
5	Polaris	II	b 19 1 18	18 2 0	0 59 18	0 59 6,0
			a 3 7	4 13	58 54	
6	Anonyma 0 ^o decl.	II	a 20 4,4	0 1 37,8	19 18 26,6	19 18 27,0
			b 21 25,8	2 58,5	18 27,3	
7	Eadem.	I	b 26 20,9	0 7 46	19 18 34,9	19 18 36,0
			a 27 38,5	9 1,5	18 37,0	

Subjungimus stellarum ascensiones rectas ex Enckii ephemeridibus, et tangentes et secantes declinationis has:

	AR	lang δ	sec δ
α Ursae min.	1 ^h 1' 10",8	36,41	36,43
δ Ursae min.	18 25 41,6	16,79	16,82
α Lyrae	18 31 23,0	0,80	1,28

Observationes jam hoc modo tractandas duxi.

A. a et b sunt numeri transitus in oppositis fili directionibus. Differentiae culminationum ex a et b deductarum in stellis polaribus obviae excentricitatem fili monstrant, quam accipies:

$$\text{ex 1) } 4",5 : 16,8 = 0",27$$

$$\text{ex 4) } 4,5 : 16,8 = 0,27$$

$$\text{ex 5) } 12,0 : 36,4 = 0,33$$

$$\text{Medium} = 0,29 \text{ temporis.}$$

Elucet filum a centro rotationis micrometri 4",35 arcus abfuisse. In observationibus stellarum reliquarum effectum excentricitatis vix perceperis.

B. Momenta transituum in angulis horariis exiguis facili negotio ab effectu refractionis liberantur addita correctione:

$$\rho = -0",00876 \text{ sec } (\varphi - \delta). \text{ sec } \delta. t;$$

ubi t est angulus horarius occidentalis minutis temporis primis expressus. Quae correctio efficit:

$$\text{pro stella in aequatore } \rho = -0",0167. t,$$

$$\text{pro } \alpha \text{ Lyrae } \rho = -0,0116. t,$$

$$\text{pro } \delta \text{ Ursae min. } \rho = -0,1668. t;$$

seu pro mediis culminationibus:

$$\text{in 2) } -0",10, \text{ in 3) } -0",17, \text{ in 6) } -0",04, \text{ in 7) } -0",14,$$

quantitates prorsus negligendas, cum de minimis fractionibus minuti secundi sermo non sit in Noniis, qui tantum 4" temporis offerunt. Pro culminationibus stellae δ Ursae minoris in 1) et 4) erit:

$$\rho = -1",42 \text{ et } -4",85.$$

C. Ex duabus culminationibus stellae in aequatore sequitur:

$$c = \pm 4",5 \text{ temporis } \left\{ \begin{array}{l} + \text{ in positione II.} \\ - \text{ in positione I.} \end{array} \right.$$

D. Si jam omnes culminationes reliquas corrigimus quantitate $c \cdot \text{sec } \delta$, evadunt culminationes a c immunes hae:

$$1) \delta \text{ Ursae min. I. } 18^{\text{h}}26'43",5 - 1'15",7 = 18^{\text{h}}25'27",8.$$

$$2) \alpha \text{ Lyrae I. } 31 51,5 - 5,8 = 31 45,7.$$

$$3) \alpha \text{ Lyrae II. } 31 41,0 + 5,8 = 31 46,8.$$

$$4) \delta \text{ Ursae min. II. } 25 1,5 + 1 15,7 = 26 17,2.$$

$$5) \text{ Polaris II. } 0 59 6,0 + 2 43,9 = 1 1 49,9.$$

E. Jam effectus quantitatis b ex duabus his culminationibus stellae δ Ursae minoris manifestatur postquam correctionem adjicimus ρ . Accipimus:

$$\text{in positione I. ex 1) } 18^{\text{h}}25'27",8 - 1",42 = 18^{\text{h}}25'26",38$$

$$\text{in positione II. ex 4) } 18 26 17,2 - 4,85 = 18 26 12,35$$

$$\text{differentia} = 45,97;$$

atque hinc:

$$b = \pm \frac{45'',97}{2 \cdot \text{tang } \delta} = \pm \frac{45'',97}{53,58} = \pm 1'',37 \left\{ \begin{array}{l} + \text{ in positione I.} \\ - \text{ in positione II.} \end{array} \right.$$

- F. Sumtis jam mediis inter 1) et 4), 2) et 3) in D. et addita in 5) pro stella polari correctione a b pendente $-1'',37$. sec $\delta = -49'',9$, evadent nobis culminationes ab aberrationibus axium liberae hae:

$$\begin{array}{ll} \delta \text{ Urs. min.} & 18^{\circ}25'52'',5, \\ \alpha \text{ Lyrae} & 18 \ 31 \ 46, 2, \\ \text{Polaris} & 1 \ 1 \ 0, 0. \end{array}$$

- G. Ut jam duarum stellarum polarium culminationes in eas mutantur, quae in motu circulari uniformi circa polum apparentem locum habent, pro angulis mediis horariis, $0^{\circ}18'8$ in δ Ursae et $18^{\circ}3',1$ in α Ursae, ex tabula supra data sunt addendae correctiunculae $+0'',41$ et $-0'',07$, seu sunt tria momenta jam:

$$\begin{array}{ll} \delta \text{ Ursae min.} & 18^{\circ}25'52'',9, \\ \alpha \text{ Lyrae} & 18 \ 31 \ 46, 2, \\ \text{Polaris} & 1 \ 0 \ 59, 9. \end{array}$$

- H. Si jam correctionem horologii nuncupamus μ , et correctionem ex situ indicis circuli horarii λ , et $\mu + \lambda = \mu$, si porro circuli declinationis, a tubo in medio angulo horario $0^{\circ}18'8$ descripti, distantiam a polo coelesti apparenti designamus per n , ubi n est positivum, quando stella prius transit per circulum declinationis instrumenti quam coeli: aequationes accipimus inter priora duo culminationum momenta in G. et ascensiones rectas has:

$$\begin{array}{l} \text{ex } \delta \text{ Ursae min.} \quad 18^{\circ}25'52'',9 + \mu + 16,79 \ n = 18^{\circ}25'41'',6 \\ \text{ex } \alpha \text{ Lyrae} \quad \frac{18 \ 31 \ 46, 2 + \mu + 0,80 \ n = 18 \ 31 \ 23, 0}{5 \ 53, 3 \quad - 15,99 \ n = \quad 5 \ 41, 4.} \\ n = + 0'',744 \text{ temp.} = + 11'',16 \text{ arcus, pro } t = 4^{\circ}42'. \\ \mu = - 23'',8. \end{array}$$

- I. Eodem modo circuli declinationis, ab instrumento in medio angulo horario pro α Ursae min. $t = 18^{\circ}3',1$ descripti, distantia a polo apparenti $= n'$ prodibit ex:

$$1^{\circ}0'59'',9 + \mu + 36,41 \ n' = 1^{\circ}1'10'',8;$$

unde, cum $\mu = -23'',8$ jam sit notum:

$$1^{\circ}0'36'',1 + 36,41 \ n' = 1^{\circ}1'10'',8.$$

$$n' = + 0'',953 \text{ temp.} = + 14'',30 \text{ arcus, pro } t' = 270^{\circ}46',5.$$

- K. Ponamus:

$$n = e' \cdot \sin (A' - t) \text{ et } n' = e' \cdot \sin (A' - t'),$$

erit e' distantia poli apparentis coelestis a polo instrumenti in directione A' , quae per formulas exhibentur has:

$$\text{tang } A' = \frac{\sin t - \frac{n}{n'} \sin t'}{\cos t - \frac{n}{n'} \cos t'},$$

$$e' = \frac{n}{\sin (A' - t)} = \frac{n'}{\sin (A' - t')};$$

in quibus pro A' is est eligendus quadrans, per quem e' positivum evadit.

- L. Jam facili negotio quantitates e et A , ad verum coeli polum spectantes, deducuntur, si r est refractio pro distantia poli a vertice. Faciamus enim:

$$\xi = e' \cdot \cos A' - r \text{ et } \eta = e' \cdot \sin A',$$

erit:

$$\text{tang } A = \frac{\eta}{\xi} \text{ et } e = \frac{\xi}{\cos A} = \frac{\eta}{\sin A}.$$

Quas si formulas in nostrum adhibemus exemplum, est primum:

$$e' = 18'',78, A' = 41^{\circ}10',1.$$

Pro statu vero instrumentorum meteorologicorum supra allato est refractio poli in distantia apparenti $31^{\circ}36',6$ a vertice $r = 34'',44$. Hinc prodeunt:

$$\xi = +14'',13 - 34'',44 = -20'',31, \eta = +12'',36,$$

atque quantitates finales

$$e = 23'',78, A = 148^{\circ}40',5.$$

Ex hac disquisitione complura prodeunt, quae attentione sunt digna.

1. Polus coeli $23'',8$ abfuit a polo instrumenti, et quidem ita ut $12'',4 = \eta$ esset ad Occidentem et $20'',3 = \xi$ propius ad horizontem borealem. Error hic positionis quamvis exiguus, facili modo tolli potest opera cochlearum magnarum verticalium, quae per trabes transeunt horizontales pedis. Directo enim tubo primum in punctum horizontis meridianum, tum in punctum horizontis a meridiano 90° distans, directiones hae sunt mutandae opera cochlearum illarum quantitatibus ξ et $\frac{\eta}{\sin \varphi}$. Mutationes vero perficiendae auxilio micrometri filaris in objectum terrestre directi ad minutissimam praecisionem judicari possunt.
2. Angulus inter axem horarium et declinationis est $90^{\circ}0' - 20'',5$ ex ea parte ubi tubus axi secundo insidet. Admirandum videtur esse, artificem angulum tam prope rectum fecisse. Angulus hic est constans, et tum solum tantillo mutari potest, quum axis horarius a magno cavo metallico sejungitur, quod secundum in se suscipit axem.
3. Angulum inter axem declinationis et axem opticum tubi inveni $90^{\circ}1'7'',5$ e regione ocularis. Etiam hic angulus est proxime constans, si intactus jacet tubus ligneus in alveo metallico. Tubi vero ex alveo demti et posthac repositi directio facile aliquantum mutatur. Prioribus occasionibus aberrationem hanc fere semper minorem quam $30''$ inveneram. In omnibus vero occasionibus, ubi opus est, per observationes c omni praecisione nosse licet.

Si t est angulus horarius, quem circulus in axi horario fixus dat, τ vero angulus horarius a vera culminatione stellae, tum erit:

$$\tau = t - e \cdot \sin(A - t) \cdot \text{tang } \delta + \lambda,$$

ubi λ est correctio ex situ indicis. Eodem modo si d est declinatio, quam ex circulo legis in positione tubi I., d' vero in positione II., tum declinatio vera $= \delta$, ad polum coeli relata, accipitur ex:

$$\delta = \frac{1}{2}(d + d') + e \cdot \cos(A - t)$$

et $\frac{1}{2}(d' - d)$ est correctio situs indicis $= \pi$. Qua semel cognita in singulis positionibus erit:

$$\delta = d + \pi + e \cdot \cos(A - t) \text{ pro positione I.}$$

$$= d' - \pi + e \cdot \cos(A - t) \text{ pro positione II.}$$

Basis instrumenti totius est fornix solidissimus, crassis turris parietibus fultus. Variationes itaque in directione axis ex basi mutata exiguae tantum esse possunt. Caloris et humorum in pedem ligneum effectum non magnum esse egregia probavit in axis directione constantia etiam per majora temporis intervalla cognita. Juvat hoc probare quantitatibus e et A postremis 7 mensibus observatis, quae sunt:

Datum	δ in arcu	A	In positione I.		ξ in arcu	η in arcu
			$b+c$	c		
			in tempore			
1835. 12 Aug.	23",8	148°40'	- 3",13	- 4",50	- 20",3	+ 12",4
8 Sept.	28,9	101 35	- 2,56		- 5,8	+ 28,3
7 Oct.	44,7	146 51	- 3,09	- 4,28	- 37,4	+ 24,5
1836. 1 Febr.	109,0	143 29	- 2,90		- 87,6	+ 64,9
16 Mart.	96,9	136 32	- 3,00	- 4,07	- 70,3	+ 66,6

Maximum discrimen hic inter positionem diei 7. Oct. et 1. Febr. apparet. Sed quatuor interpositi sunt menses hiemales, insignes frigore, quod ad -26° R. descenderat; ita ut potius mireris hujus frigoris effectum in axis directionem non majorem exstitisse. Summam fuisse constantiam videmus in $b+c$, quod stella polaris in utraque positione prope culminationem observata dedit, cujus medium est $b+c = -2",94$. Cum jam stellae aequatoris sumto medio dederint $c = -4",28$, sequitur medium pretium $b = +1",34$ in tempore, seu angulus inter duos axes primarios $= 90^\circ 0' - 20",1$. Die 19. Martii axem methodo supra allata propius ad polum admovi.

Unum vero restat etiam examinandum, quod in praecisionem angulorum positionum inter duas stellas directe agit, utrum scilicet locus indicis pro directione fili, motui instrumenti circa axem respondente, semper idem sit, an variationem experiatur ex pondere instrumenti et partium flexibilitate. Ut hujus mutationis naturam examinemus, sint in figura III. P et Z polus et vertex, S punctum coeli, in quod tubus est directus, GH projectio orthographica circuli divisi positionum in coeli superficie. Supponamus in peripheriae puncto aliquo, cui respondet G , suspensum esse pondus aliquod, ita agens ut circuli situm circa axem tubi opticum mutare tendat. Si jam angulus ad locum ponderis designandum valens est $PSG = B$, et angulus, qui a positione puncti S in coelo pendet, $PSZ = p$, et distantia $ZS = z$, actionem ponderis elucet in hac positione exprimi formula:

$$g \cdot \sin(B+p) \cdot \sin z,$$

in qua g et B sunt quantitates incognitae. Erit itaque pro motu tubi diurno:

$$T = C + g \cdot \sin(B+p) \cdot \sin z, \text{ in positione I.}$$

$$T - 180^\circ = C - g \cdot \sin(B+p) \cdot \sin z, \text{ in positione II.}$$

Si itaque T in pluribus observatum est tubi directionibus, g et B secundum probabilitatis praecepta sunt constituenda. Directio vero tubi simplicissime determinatur ex declinatione δ et angulo horario t , in circulis instrumenti lectis, unde adhibita latitudine $= \varphi$, z et p per formulas notas inveniuntur:

$$\cos z = \sin \varphi \cdot \sin \delta + \cos \varphi \cdot \cos \delta \cdot \cos t,$$

$$\sin p = \frac{\sin t \cdot \cos \varphi}{\sin z}.$$

Ponamus jam in aequatione:

$$T = C + g \cdot \sin B \cdot \cos p \cdot \sin z + g \cdot \cos B \cdot \sin p \cdot \sin z$$

$$g \cdot \sin B = x, \quad g \cdot \cos B = y;$$

$$\cos p \cdot \sin z = a, \quad \sin p \cdot \sin z = b,$$

tum transformatur formula in formam aptiorem:

$$T = C + ax + by, \text{ in positione I.}, \text{ et}$$

$$T - 180^\circ = C - ax - by, \text{ in positione II.}$$

Tubo in verticem directo, apparet $a = 0$ et $b = 0$ et $T = C$ esse. In positionibus I. et II. signa correctionum valent inter se opposita. Jam $a = \cos p \cdot \sin z$ est maximum

in meridiano, in quo inde a vertice ad horizontem usque omnia pretia inter 0 et 1 assumit. At $b = \sin p \cdot \sin z = \sin t \cdot \cos \varphi$. maximum fit pro angulo horario $t = 90^\circ$, in quo b est constans $= \cos \varphi$, Dorpati $b = 0,524$. Ex his facili negotio derivamus, in quibusdam diversis tubi directionibus sint observandae T , ut C , x et y quam certissime sejungantur.

Die 3. Novemb. 1835 observationes huc spectantes institui sequentes adhibito oculari, cujus amplificatio erat $= 140$ et campus $= 13,6$:

	Positio tubi	$t =$	$\delta =$	Mottus diurnus in filo observatus
1	I	0°11',2	- 11°54'	$T = 0^\circ 23',5$
2	II	0 8,5	- 11 19	$T - 180^\circ = 0 15,0$
3	I	18 52,0	+ 16 38	$T = 0 16,33$
4	II	18 16,5	+ 22 14	$T - 180 = 0 15,25$
5	I	5 46,5	+ 16 49	$T = 0 21,5$
6	II	5 5,0	+ 16 15	$T - 180 = 0 13,5$
7	I	1 7,7	+ 59 40	$T = 0 15,5$
8	II	22 38,5	+ 59 10	$T - 180 = 0 15,5$
9	I	0 9,0	- 13 2	$T = 0 22,5$
10	II	0 16,0	- 12 54	$T - 180 = 0 14,5$

Ex t et δ atque $p = 58^\circ 23'$ sequentes deduxi z et p et coefficients a et b , singulis observationibus respondententes:

	$z =$	$p =$	$a =$	$b =$
1	70°19'	1°33'	+ 0,94	+ 0,03
2	69 43	1 11	+ 0,94	+ 0,02
3	69 6	326 51	+ 0,78	- 0,51
4	69 5	326 53	+ 0,78	- 0,51
5	73 59	32 59	+ 0,81	+ 0,52
6	69 2	33 3	+ 0,78	+ 0,51
7	8 46	90 0	0,00	+ 0,15
8	10 34	275 13	+ 0,01	- 0,18
9	71 26	1 15	+ 0,95	+ 0,02
10	71 22	2 13	+ 0,95	+ 0,04

Quibus adhibitis evadunt aequationes hae:

		Diff. a form.
1	$23',5 = C + 0,94 x + 0,03 y$	+ 2',63
2	$15, 0 = C - 0,94 x - 0,02 y$	+ 1, 22
3	$16, 33 = C + 0,78 x - 0,51 y$	- 2, 50
4	$15, 25 = C - 0,78 x + 0,51 y$	- 0, 54
5	$21, 5 = C + 0,81 x + 0,52 y$	- 0, 73
6	$13, 5 = C - 0,78 x - 0,51 y$	- 0, 45
7	$15, 5 = C + 0,00 x + 0,15 y$	- 2, 21
8	$15, 5 = C - 0,01 x + 0,18 y$	- 2, 26
9	$22, 5 = C + 0,95 x + 0,02 y$	+ 1, 61
10	$14, 5 = C - 0,95 x - 0,04 y$	+ 0, 82

Unde per methodum quadratorum minimorum prodit:

$$C = + 17',308, \quad x = + 3',697, \quad y = + 2',688$$

$$\text{seu} \quad g = 4',571, \quad B = 53^\circ 58',5;$$

atque:

$$T = 17',31 + 4',571 \cdot \sin(53^\circ 58',5 + p) \cdot \sin z, \text{ in positione I.};$$

$$T = 180^\circ = 17',31 - 4',571 \cdot \sin(53^\circ 58',5 + p) \cdot \sin z, \text{ in positione II.}$$

Quae supersunt differentiae inter T observata et ex formula calculata si observationis erroribus adscribis, singuli T errorem probabilem $= 1',37$ invenies. Neque hic error nimius videtur, cum campus ocularis adhibiti non plus $13',6$ amplectatur, et ad motum diurnum constituendum stella in duobus fili punctis extremis observetur, quae non plus $12'$ inter se distant. At ex $720'' \cdot \sin 1',37 = 0'',287$ sequitur error probabilis observationis in utraque fili extremitate $0'',287 : \sqrt{2} = 0'',203$, pro amplificatione 140 non magnus, etiamsi, ut factum est, T in quavis tubi directione bis sit determinatum.

Patet ex his locum T in diversis tubi directionibus non constantem posse adhiberi. Neque tamen singula T , quibus usus sum, ex constanti C et B atque g deduxi, quod nimium poposcisset calculum. Cum enim in eadem proxime regione coeli plures observarentur stellae, in iis unum adhibui locum T , pro directione media observatum. Neque limites hic erant anxie coercendi, cum maxima mutatio $4',57$ in stellis $32''$ distantibus pro loco absoluto non plus $32'' \cdot \sin 4',57 = 0'',042$ arcus efficiat. In stellis vero majoris distantiae, minuti primi totius seu plurium, hanc mutationem omni cura spectavi. Scilicet, si summa desideratur praecisio, optimum duxi, simulac W observatum erat, etiam T observare unde angulus P liber evaderet ab omni de flexione hypothesei. Experientia docuit T ex repetitis observationibus pro eadem directione ita determinari posse, ut error fractionem non excedat minuti primi.

METHODUS DISTANTIARUM OBSERVANDARUM.

Simul ac distantiam metiri intendimus, primum est ut directionem filorum perpendicularem reddamus in lineam stellas jungentem. Id opera indicis circuli positionum divisi perficitur, qui, W ex observatione accepto, in $W \mp 90^\circ$ dirigitur. In distantiis inter stellas exiguis sufficit positionem filorum in stellas normalem oculo judicare, quo multum temporis lucratur.

Si distantia filorum eadem apparet ac stellarum in foco conspectarum, tum haec per illam est mensurata. Sit l locus indicis cochleae micrometricae in scala lectus, c vero lectio scalae pro coincidentia filorum A et B : erit distantia $d = (c - l) \cdot r$, si r est pretium passus cochleae, p. XVI. Omnis mensura itaque ex noto c , loco coincidentiae filorum, incipit. Quaeri hic potest num c semper idem sit, si cochleam minorem, quae filum B movet, intactam sinis Apparet primum, si temperatura mutatur, etiam c mutari debere, ob dilatationes diversas cochlearum ex chalybe et partium ceterarum micrometri ex orichalco confectarum. Deinde vero dubitari potest num etiam in eadem temperatura, at in diversis et tubi et indicis directionum positionibus, c maneat idem. Cum cochlea mensurans per lamellam elasticam contra laminam tendatur, in qua filum A est fixum, vis tensionis pondere partium tum augetur, tum deminuitur, aut nullo modo afficitur. Differentias coincidentiae hinc oriri exemplo probabo. Die 25. Oct. 1835, tubo in punctum culminans horizontis directo, haec sunt observata:

Cochleae micrometricae situs	Coincidentia	Differentia a media
horizontalis ad Occid.	38,0113	+ 0,0006 = + 0",009
horizontalis ad Orient.	38,0149	+ 0,0042 = + 0,064
verticalis ad Boream	37,9976	- 0,0131 = - 0,200
verticalis ad Austrum	38,0190	+ 0,0083 = + 0,127
Coincidentia media = 38,0107		

Videmus in oppositis positionibus cochleae horizontalibus discrimen inter c esse perexiguum, at inter oppositas verticales manifestari differentiam = 0",0214 = 0",327, quantitatem nullo modo negligendam. Differentia haec multo major evadit, si lamella illa elastica, cujus vis per cochleolas moderari potest, minus intense agit.

Sed coincidentia etiam ex altera causa potest mutari. Interest enim inter motum cochleae directum et indirectum, et ea lex severe observanda est, ut positiones cochleae inter se comparandae per motum ejusdem sensus directi sint effectae, i. e. ita ut index

semper a minori ad majorem progrediatur divisionis numerum. Eo enim modo id evitatur vitium, ex flexibilitate metalli oriundum, quod lusus nocuus cochleae jure vocatur. Cujus effectus ex comparatione coincidentiae in utroque motu acceptae perspicitur. Ita die supra citato, situ micrometri non mutato, inveni coincidentiam:

in motu cochleae directo 38,0093

in motu cochleae negativo 37,9912

Differentia = 0,0181 = 0",277.

Ex his omnibus perspicitur in quavis observatione seu c esse proprie determinandum, seu prorsus ex mensura eliminandum. Hoc quidem efficitur si, loco distantiae simplicis, duplicem ita observamus, ut intervallum filorum stellarum distantiae respondeat utrimque a filo immoto B , filo A per cochleam mutato. Si in duabus hujus filii A positionibus lectiones indicis per l et λ designamus, distantia d est data ex formula:

$$2d = (\lambda - l) \cdot r, \text{ seu } d = \frac{1}{2}(\lambda - l) \cdot r.$$

Coincidentia vero est $c = \frac{1}{2}(l + \lambda)$.

Omnnes distantiae, quas liber hic continet, si eas excipis, quae sunt minores quam 0",7, ex duplicibus ita observatis sunt deductae, quibus nulla est ex coincidentia incertitudo. De minimis distantis vide infra. Cum scala ambitum habeat 80 revolutionum = 20'25", distantiae ad 10' usque nostro apparatu ex mensuris duplicibus possunt observari. In aliis vero occasionibus, cometarum inprimis observandarum, non raro simplices emensus sum distantias, sine ullo certitudinis detrimento, cum fides cochleae et coincidentiae major semper esset, quam praecisio puncti cometae, in quod filum dirigebatur. Praesertim in declinationum differentiis determinandis inter cometam et stellam simplici usus sum mensura, in qua filum immotum B per tubum in declinatione motum asteri in AR priori respondere debet, filum mobile A vero per cochleam micrometricam in stellam sequentem ducitur.

Distantiae vero duplices ex diversis coincidentis c, c', c'' possunt mensurari, ad libitum dispositis, si filii B situs sua mutatur cochlea. Exemplum tale offert mensura distantiae stellae 70 p Ophiuchi die 4. Augusti 1835 instituta, quam ex diario hic appono:

Mensura prima.	Mensura secunda.	Mensura tertia.
$l = 38,812$	$l' = 39,633$	$l'' = 40,393$
$\lambda = 39,622$	$\lambda' = 40,433$	$\lambda'' = 41,197$
$c = 39,217$	$c' = 40,033$	$c'' = 40,795$
$\lambda - l = 0,810$	$\lambda' - l' = 0,800$	$\lambda'' - l'' = 0,804$
Distantia $d = 6",202$	$= 6",126$	$= 6",157$

Medium distantiarum $d = 6",162$.

Mensura sic iterata majorem affert distantiae certitudinem ex causa duplici. Tum errores fortuiti visus deminuuntur, tum mensura in pluribus cochleae regionibus efficitur, unde vitia ejus exterminantur. Probe vero tenendum est, talem videri concinnitatem cochleae passuum, ut ex mensura in variis partibus praecisio vix in centesimis minuti secundi partibus augeatur.

In exemplo allato neque $l' = \lambda$, neque $l'' = \lambda'$. Scilicet, mensura duplici prima perfecta, si ad secundam pergis, tum filum B sua cochlea in alteram ab A regionem est movendum. Qui motus ita perfici potest, ut distantia filorum statim aequet stellarum intervallum. Tum l' erit $= l$; atque si jam per motum filii A in λ' pergis, quadruplicem habes distantiam $4d = \lambda' - l$. Sed hoc observandi genus prorsus rejeci, cum eo vitio laboret, quod ex methodo quae vocatur repetenti, ut in instrumentis circularibus ita, etiam in

micrometris locum habere debet, cujusque origo in metalli flexibilitate et variabili inde tensione quaerenda est. Postquam itaque fili *B* situs in alteram ab *A* regionem est mutatus, cochleam fili *A* aliquantum reduxi, deinde per motum directum filum *A* in eam ab altero duxi distantiam, quae stellarum intervallo respondebat, denique motu in eodem sensu producto in *λ'* duxi, ita ut *λ'* et *λ* comparandae in prorsus aequali apparatus conditione et tensione acciperentur.

In distantiis majoribus, quam quas in diversis cochleae partibus metiri licebat, aut si iterationem evitare volebam, ne tempus nimium tererem, quamquam optanda erat major certitudo quam ex una mensura duplici, eam amplexus sum viam, ut lectiones *l* et *λ* in pluribus fundarem observationibus. Ita die 22. Maji 1835. inter 16 et 17 Draconis hanc emensus sum distantiam:

$$\begin{array}{r}
 l = 32',150 \\
 \quad 127 \\
 \quad 124 \\
 \quad 143 \\
 \hline
 \text{Medium } l = 32,136 \\
 \\
 \lambda = 43',895 \\
 \quad 915 \\
 \quad 922 \\
 \quad 912 \\
 \hline
 \lambda = 43,911 \\
 \\
 c = 38',0235 \\
 2d = \lambda - l = 11',775; \quad d = 90'',17.
 \end{array}$$

At coincidentiam in media inter *l* et *λ* via etiam directe observavi per contactum florum utrimque conspectum, $c = 38',028$, cujus a superiore est differentia $0',0045 = 0'',07$, quo mensura distantiae optime comprobatur.

In longe plurimis stellis vero quavis nocte una tantum mensura distantiae duplicis est peracta, unde duplex emolumentum existit. Etenim et mensurae citius perficiuntur, et, si filum *B* intactum manet, ipsa coincidentia $c = \frac{l+\lambda}{2}$ in quavis stella prodire debet proxime eadem; unde simplicissima datur observationum probatio, quae errores indicat, si qui rarissime sunt commisi. Ita exempli gratia die 10. Nov. 1832 stellae quinquaginta sunt observatae, quarum prima erat Dp. 2437 catalogi nostri. Haec in duabus insequentibus cochleae partibus ita est observata:

Mensura prima.	Mensura secunda.
$l = 38',533$	$l' = 38',666$
$\lambda = 38,658$	$\lambda' = 38,808$
Hinc $2d = 0,125$	$2d = 0,142$
$d = 0'',96$	$d = 1'',09$, sumto medio $d = 1'',025$.
$c = 38',595$	$c = 38',737$.

Ex qua jam mensura filum *B* tota nocte intactum mansit, et *c* constans proxime debuit evadere in omnibus mensuris. Pretia diversa pro *c* ex 50 stellis accepta sunt haec, in quibus observandis 10 horarum tempus est consumptum, quarum una tamen recreationi data erat:

38',737	38',717	38',711	38',715	38',732
732	728	733	734	719
741	740	730	739	694
738	712	721	738	735
735	736	722	733	738
736	738	693	731	732
731	738	736	760	720
737	724	729	737	690
733	736	715	738	709
732	742	719	729	736.

Ex omnibus est medium:

$$c = 38,7284.$$

Si singulas quantitates c cum media comparamus, differentiae evadunt hae in minutis secundis arcus expressae:

+ 0,13	- 0,17	- 0,27	- 0,21	+ 0,06
+ 0,06	- 0,01	+ 0,07	+ 0,09	- 0,15
+ 0,19	+ 0,18	+ 0,02	+ 0,16	- 0,53
+ 0,15	- 0,25	- 0,11	+ 0,15	+ 0,10
+ 0,10	+ 0,11	- 0,10	+ 0,07	+ 0,15
+ 0,12	+ 0,15	- 0,54	+ 0,04	+ 0,05
+ 0,04	+ 0,15	+ 0,11	+ 0,48	- 0,13
+ 0,13	- 0,07	+ 0,01	+ 0,13	- 0,59
+ 0,07	+ 0,11	- 0,21	+ 0,15	- 0,30
+ 0,05	+ 0,21	- 0,14	+ 0,01	+ 0,11.

Ex omnibus his differentiis in singulo c est error probabilis $= 0,133$. Sed differentiae non minus fortasse ex mutato c prodire, quam ex erroribus observationis fortuitis. Unde apparet singulae distantiae, cum mutationis in c sit expers, errorem probabilem minorem esse quam $0,133$, et vix $0,1$ attingisse, quamvis plures ex observatis duplicibus non exiguae fuerint difficultatis. Memorabilis est etiam constantia in c , per 10 horarum spatium cognita. Si enim ex denis mensuris medium deducitur c , erit:

ex prima decade, $c = 37,7352$	Differentia a medio + 0,0068 $= + 0,104$
- secunda - $= 37,7311$	+ 0,0027 $= + 0,041$
- tertia - $= 37,7209$	- 0,0075 $= - 0,115$
- quarta - $= 37,7354$	+ 0,0070 $= + 0,107$
- quinta - $= 37,7195$	- 0,0089 $= - 0,136$
Medium $c = 37,7284$	

Distantias minimas methodis hucusque descriptis mensurari non posse, apertum est. Si enim distantia inter filorum axes est minor quam $0,5$, tum non duo conspiciuntur fila sejuncta, sed unum tantum filum crassius. Experientia docuit distantiam $= 0,7$ esse minimam, quam ita possis metiri, ut utramque stellam per fila simul disseces. Neque pro ea distantia hoc succedit, nisi in aëris conditionibus insigniter faventibus, et adhibitis maximis amplificationibus a 600 ad 1000. Aliae itaque methodi in auxilium erant vocandae, ad distantias minores quam $0,7$ determinandas.

1. Prima erat ea, ut intervallum inter margines filorum proximis aequale redderem distantiae inter stellarum centra, scilicet filis et stellis seorsim adspectis. Judicium de aequalibus his spatiis ut quidem erat difficile, ita tamen per amplificationem magnam mirum in modum adjutum est. Lectio indicis in hac distantia cum lectione, quae in contactu filorum exstat, comparata simplicem offert inter stellas distantiam.
2. Certior plerumque visa est methodus altera, praecipue in distantis omnium minimis. Primum fila in distantiam aliquam idoneam ducebam; deinde stellis interpositis, distantiam inter stellarum centra cum intervallo inter filorum margines ita comparabam, ut rationem per numeros exprimere valerem. Cognito denique filorum inter margines intervallo ex observatione contactus, simplex deducebatur distantia. Ita die 21. Maji 1835 ex comparato marginum intervallo $= 1,00$, inveni distantiam γ Virginis $= 0,55$, quam amicus in his judiciis versatissimus Senffius eadem occasione $= 0,57$ taxabat, i. e. inter $0,55$ et $0,60$.

6.

ACCURATIOR TOTIUS OPERIS EXPOSITIO.

Observationum et subsidiis et methodis elucidatis, jam consilium accuratius exponam, secundum quod mensurarum opus perficiendum esse duxi.

Catalogus meus 3112 stellas continet compositas. Mensuras vero incipiens fines catalogi aliquanto arctius circumscribere placuit.

1. Rejeci eas stellas fere omnes distantiae a 16" ad 32", i. e. classis IV. Herschelianaе, in quibus comes est minor quam magnitudinis nonae. In introductione catalogi enim p. X. XI. ex probabilitate deduxi, majorem numerum stellarum in hac classe occurrentium, optice non physice esse duplicium. Cum jam propositum esset praecipue in stellas physice conjunctas inquirere, hujus classis stellas rejiciendas duxi eas, in quibus major erat probabilitas conjunctionis mere opticae, h. e. stellas ex valde inaequalibus combinatas. Interim nonnullae occurrunt in hoc opere stellae ejus distantiae, in quibus comes est minor ordine nono.
2. Stellas duplices rejeci eas, quae, cum mensura distantiam majorem daret quam 32", a consilio catalogi proprie alienae erant. Ex quibus tamen complures retinui, quae ex lucidioribus duabus erant compositae. Vide p. 230 et 248.
3. Stellas eas negligendas duxi duplices, quae in stellarum acervis sitae erant, nisi reliquas acervi stellas aliquanto superabant.
4. Stellas porro exiguas complures rejeci, quarum lucidior minor apparebat ordine nono, cum a consilio, quod in conficiendo catalogo proposueram, essent alienae. Nonnullae interim tales exiguae sunt observatae, quarum mensuras separato communicantur loco. Vide p. 227.
5. Perpaucas stellas rejeci, in quibus comes ita minuta erat et visu difficilis, ut certam respueret mensuram.

Erant porro nonnullae stellae ex catalogo prorsus excludendae, nempe:

6. eae stellae, quae bis in catalogo occurrentes, altero loco falso illatae sunt;
7. stellae, quas postea in coelo non reperi;
8. stellae, quae, quamvis duplices dictae, ex accuratiore disquisitione simplices tantum apparuere, de quarum plurimis in ipso catalogo jam dubitaveram.

1. STELLAE CATALOGI DUPLICES REJECTAE CLASSIS QUARTAE I. E. INTER 16" ET 32" DISTANTES,
 QUARUM COMES EST MINOR QUAM MAGNITUDINIS NONAE.

6	416	827	1314	1631	2018	2288	2719
26	417	832	1323	1637	2019	2293	2748
50	428	833	1325	1640	2020	2300	2774
53	429	837	1330	1671	2024	2317	2788
56	432	842	1335	1673	2031	2334	2794
66	441	857	1336	1684	2038	2350	2805
81	451	874	1337	1697	2039	2354	2818
83	456	890	1352	1706	2042	2355	2820
85	488	894	1382	1736	2053	2359	2821
89	519	895	1383	1745	2064	2365	2830
92	532	917	1388	1749	2069	2366	2839
116	539	923	1391	1754	2070	2377	2844
123	555	930	1405	1774	2073	2386	2875
126	560	937	1411	1778	2074	2389	2885
128	561	975	1412	1780	2077	2405	2899
159	568	999	1418	1800	2081	2407	2933
161	573	1007	1430	1822	2088	2418	2937
165	580	1026	1433	1836	2090	2432	2951
167	588	1041	1438	1841	2100	2477	2952
173	592	1059	1444	1845	2108	2485	2955
176	597	1072	1475	1852	2110	2494	2962
181	600	1096	1480	1854	2111	2500	2966
184	611	1100	1485	1857	2125	2511	2975
187	626	1112	1488	1859	2126	2517	2983
188	628	1118	1489	1880	2127	2546	2991
190	641	1128	1490	1889	2139	2558	3005
210	642	1139	1492	1897	2141	2559	3025
211	650	1148	1493	1900	2143	2560	3027
298	672	1150	1498	1906	2144	2561	3032
304	682	1159	1513	1913	2167	2566	3035
309	703	1164	1515	1918	2181	2572	3064
319	717	1180	1528	1922	2183	2593	3065
327	722	1189	1550	1933	2189	2608	3066
348	732	1199	1562	1951	2195	2629	3069
373	756	1203	1563	1971	2209	2632	3071
387	760	1209	1587	1975	2216	2638	3084
399	768	1229	1597	1981	2221	2650	3088
402	789	1257	1598	1994	2223	2657	3103
404	793	1286	1610	1997	2248	2682	3108
405	801	1294	1617	2002	2256	2697	
409	812	1299	1623	2005	2257	2710	
411	822	1307	1629	2012	2274	2712	

Summa harum stellarum rejectarum est 333.

2. STELLAE DUPLICES CATALOGI REJECTAE, QUARUM DISTANTIA EST MAJOR QUAM 32".

58	985	1903	2811
198	1005	2013	2907
209	1713	2134	2914
242	1765	2299	2956
433	1811	2581	2999

Numerus harum stellarum est 20.

3. STELLAE DUPLICES CATALOGI REJECTAE, QVAE IN ACERVIS OCCURRUNT.

151	961
152	1249
601	2650
927	

Numerus stellarum harum est 7.

4. STELLAE DUPLICES CATALOGI REJECTAE, QUIA LUCIDIOR IPSA EST EXIGUA, I. E. MINOR
MAGNITUDE NONA.

21	353	518	605	931	1247	1518	2595
57	354	525	746	972	1252	1638	2756
134	359	541	803	993	1267	1739	2772
203	365	556	804	1036	1277	2231	2808
217	366	581	843	1063	1361	2270	2871
247	492	591	864	1105	1393	2287	2921
255	496	593	887	1113	1497	2332	3077
267	502	594	892	1241	1508	2388	

Numerus stellarum harum est 63.

5. STELLAE DUPLICES CATALOGI REJECTAE, QUIA COMES OB DEBILITATEM NON TUTO
POTERAT OBSERVARI.

259	967	2353	2888	2892
-----	-----	------	------	------

Numerus harum stellarum est 5, quarum quatuor tamen quamvis imperfecte ita emensus sum:

259. Major = 8,5, minor = 12. Ex duabus observationibus sequitur pro 1833,23 distantia = 12",61, angulus = 18°,0.
967. Major = 8,0, minor = 12. Pro 1832,18 inveni distantiam = 11",5 et angulum = 191°,5.
2353. Major = 8,5, minor = 12. Distantia est = 13",2, angulus = 258°,7 pro 1832,80; potius taxatio quam mensura, praesertim distantiae.
2892. Triplex. $A = 8,0$, $B = 11,7$. $C = 9$. Pro 1831,52 inveni haec:
 A et B . Distantia = 9", angulus = 50°,0.
 A et C . Distantia = 35", angulus = 266°,0.

6. STELLAE EXCLUDENDAE, QUIA SECUNDO LOCO FALSE IN CATALOGUM SUNT ILLATAE.

Prior numerus est rejiciendus. Secundus justam exhibet positionem.

220	=	218
243	=	256. Error 5' in <i>AR</i> .
253	=	258. Error 2' in <i>AR</i> .
340	=	345. Error 1° in Decl. et 1' in <i>AR</i> .
347	=	343. Error 1' in <i>AR</i> .
454	=	446. Error 3' in <i>AR</i> .
507	=	513. Error 1' in <i>AR</i> .
586	=	587. Error 1' in <i>AR</i> .
660	=	657
765	=	758. Error 2' in <i>AR</i> .
767	=	806. Error 10' in <i>AR</i> .
858	=	855
863	=	859. Error 20' in Decl.
1078	=	1088. Error 4' in <i>AR</i> .
1166	=	1165
1545	=	1544. Error 1°10' in Decl.

1655 = 1653
1726 = 1722. Error est in <i>AR</i> Southi 1'3.
1868 = 1866
2249 = 2250. Error 1° in Decl.
2363 = 2357. Error 1' in <i>AR</i> .
2387 = 2393
2495 = 2480. Error 6' in <i>AR</i> .
2568 = 2567. Error 40' in Decl.
2689 = 2688. Error 10' in Decl.
2864 = 2876. Error 4' in <i>AR</i> Southi.
2994 = 2992. Error 20' in Decl.

Numerus stellarum excludendarum est 27. Monendum hic est me omni cura stellarum positiones examinasse, ita ut plena fides sit iudicio habenda, stellas esse non diversas sed easdem.

7. STELLAE EXCLUDENDAE QUIA IN COELO NON REPERTAEE SUNT.

Probabile est plurimas harum stellarum erroneo loco esse in catalogum illatas. Pluries tentavi loca emendare, sed frustra circumjacentes regiones perlustravi. Interim suspicari licet nonnullas ex his stellis esse variabiles. Vide notas.

275	870	1856	2911
467	1214	2028	2972
800	1215	2129	3085
814	1354	2331	3098
828	1592	2506	3102
841	1753	2782	

- 275.** Die 10. Octobris 1831 observavi distantiam 27",11 et angulum 299°,6. Major = 8,5, altera = 8,5 minor. Quae est duplex classis IV., non II. ut in catalogo. Saepius postea stellam quaesivi, semper vero frustra. Et dubitari licet, quin stella anno 1831 observata eadem sit ac stella catalogi.
- 828.** Fortasse locus ita erroneus, ut sit eadem ac 849, errore 7' in *AR* assumto.
- 3085.** Die 4. Aprilis 1833 inveni distantiam 4",70 et angulum 238°,6, majorem = 8,5, minorem = 8,5, utramque albam. Quod bene convenit cum descriptione catalogi. Postea stellam frustra quaesivi, diebus 10. Aprilis et 2. Maji ejusdem anni. Num lumen stellarum est variabile?
- 3098.** Hanc stellam classis III. inquirens die 20. Junii 1833, inveni stellam classis II. ex duabus magnitudinum 8,5 et 9 compositam, quarum distantia erat 4",37 sub angulo 277°,0. Saepius postea stellam frustra quaesivi.

Numerus stellarum itaque non repertarum est 23. Cui si addis numerum 27 stellarum bis in catalogo occurrentium, apparet residuas stellas 3112 — 50 = 3062 omnes in coelo occurrere.

8. STELLAE EXCLUDENDAE, QUIA EXAMINE INSTITUTO NON DUPLICES SED SIMPLICES APPARUERE.

- 324.** In catalogo I. II. 7. 12. At nunquam postea comitem consexi.
- 647.** β Eridani. Haec stella ex singulari casu pro duplici est habita. Scilicet vitrum objectivum non prorsus liberum erat sed parte tectum cum stellam adspicerem, unde difformitas imaginis est orta, quam duplici naturae adscribebam. Ita rem se habere statim suspicatus sum, sed serius demum perveni ad stellam denuo examinandam.
- 1328.** In catalogo I. 8. 11. Stella saepius examinata semper simplex apparuit.
- 1422.** Ursae majoris 138. In catalogo I. 7. 11. = H. I. 71. At stella Herscheli est ex duabus aequalibus composita. Nostra stella pluries examinata nunquam duplex est cognita.
- 1532.** σ Leonis ex vicinissimis. Dubiosa jam in catalogo. Certe est simplex.
- 1538.** 80 Leonis ex vicinissimis. Dubiosa in catalogo. Certe simplex.
- 1557.** ν Leonis. Oblongam suspicatus sum. At suspicio post examen maximis amplificationibus institutum non est confirmata.

1725. In catalogo est I. 8. 9. ex pervicinis. Postea simplicem, nunquam duplicem vidi. Suspiciari possis situs relativi mutationem; stella itaque post aliquod tempus erit denuo examinanda.
2093. η Herculis. Quamvis in catalogo nullum expressum sit dubium, hanc stellam tamen nunquam postea duplicem vidi, in aëris optimis conditionibus annis 1828, 1829 et 1835 et noctu et interdium maxima cura examinatum.
2260. In catalogo I. 8. 11. At simplex.
2297. Draconis 156. In catalogo I. 6,5. 10, difficilis. Nunquam postea duplex visa.
2493. Lyrae 150. In catalogo I. 7. 11,5, vicinae, sed iudicium incertum. Simplex semper posthac apparuit.
2684. Draconis 275. In catalogo I. 6. 11. nulla adnotatione adjecta. Non tamen successit posthac duplicem videre.
3082. P. XII. 245; I. 8,5. 8,5, oblonga. Posthac saepius simplex notata.

Numerus harum stellarum est 14. Ratum habeo plurimas ipsarum absque jure in catalogo occurrere. Interim non negabo nonnullas fortasse idem phaenomenon offerre, quod in ζ Herculis, ω Leonis, τ Ophiuchi et aliis est observatum, scilicet occultationis alterius stellae ex motu circulari ortae. Stellae hae itaque sunt dignae, quae in posterum denuo examinentur.

Dum ita non exiguum rejecimus stellarum numerum, alias nonnullas recepimus novas duplices, in quas in decursu mensurarum incideramus, quarum hic subjungimus catalogum.

SUPPLEMENTUM II.
IN CATALOGUM STELLARUM DUPLICIUM.

Numerus	Nomen stellae	AR 1826	Decl. 1826	Descriptio.
3113		1 ^h 43',2	45° 44'	I. (9) (9), vicinae.
3114		3 57,0	39 44	I. (8) (10), vicinae.
3115		5 32,0	62 43	I. (7) (8), vicinae.
3116	Monocerotis 33	6 13,4	-11 42	II. (6) (10).
3117		6 31,5	9 51	I. (9) (9,10), vicinissimae.
3118		6 31,9	9 56	I. (9) (10).
3119		8 23,2	9 5	IV. (8) (11).
3120		8 44,3	44 19	I. (8) (9), vicinae.
3121		9 7,5	29 20	I. (7,8) (8), vicinissimae.
3122		9 34,2	9 47	III. (9) (9,10).
3123		11 57,2	69 38	I. (6,7), oblonga ex vicinissimis.
3124	ϵ Bootis	14 10,0	52 10	I. oblonga ex vicinissimis = H. V. 9.
3125		15 23,7	67 40	I. (9) (9).
3126		15 41,1	- 2 37	I. (9) (9).
3127	δ Herculis	17 7,8	25 3	IV. (3) (8) = H. V. 1.
3128		17 43,7	- 7 50	I. (7) (11), vicinae.
3129		17 56,0	45 22	IV. (7,8) (10).
3130		18 49,5	44 1	I. (8) (11).
3131		19 14,3	38 50	III. (8,9) (10,11).
3132		19 20,7	19 52	II. (8,9) (10).
3133		20 53,5	60 40	I. (7,8) (9).
3134		22 32,2	29 7	II. (9) (9).

3127. Est notissima stella duplex Herscheli, sed omissa in nostro catalogo quia classi quintae erat adscripta. At vero classis est quartae Herscheliana, itaque catalogo nostro inserenda.

Locus hic videtur esse idoneus, ut omnia sub uno conspectu ponamus, quae, praeter supra (p. XXXIV. 6.) allata, in totius laboris decursu addenda et corrigenda in catalogo nostro stellarum compositarum anni 1827 invenimus. Has additiones non ingratas fore spero astronomis, qui stellis duplicibus curam dicant, cum labor quivis maxime eo levatur, si in fundamento nititur mendis quantum esse potest libero, i. e. si stellarum observandarum et positiones, et descriptiones sunt justae.

CORRIGENDA ET ADDENDA

IN CATALOGO STELLARUM DUPLICIUM ANNI 1827.

In Introductione.

- P. xxxvi. Pro δ Persei lege α Persei, quae vero in Piazzi catalogo non est magnitudinis 5 sed 6.
19 Lyncis apud Hardingium non est 8 sed 6.
p. xxxix. linea 17. Pro 0,00023037 lege 0,00023037.
p. xli. Adde P. XIX. 320. (6.7). (7). Distantia = 42".
p. xlii. 24. Pro χ' et χ'' Sagittae lege Sagittarii.
p. xlvi. Motus ψ^3 Aquarii ex fundamentis non est + 14",6 et + 0",4, qui ad 94 Aquarii pertinet, sed + 1",1 et + 4",7. Hanc correctionem amico Argelandro debeo.

In catalogo.

- | | |
|---|--|
| 85. Non II, sed IV. | 720. Sequens duarum. |
| 97. Decl. = 50°37' est justa. | 734. Major ipsa I. ex vicinissimis. |
| 102. AR = 1 ^h 7',0. Major ipsa I. ex vicinissimis,
(7) (8). | 788. (7) (9) (9). |
| 122. AR = 1 ^h 18',0, Decl. = + 2°40', II. (7) (9). | 816. II. (6) (8.9) |
| 153. Decl. = 60°25'. Duarum sequens minor. | 829. Minor ipsa I. difficilis. |
| 163. Decl. = 64°1'. | 840. Minor ipsa I. subtilis. |
| 183. Major ipsa I. ex vicinissimis. | 862. Australis duarum 12' distantium. |
| 210. AR = 1 ^h 56',3. | 876. Duarum sequens minor. |
| 258. Major (7) non sequitur, sed ad Boream praecedit. | 897. Decl. = 26°43'. |
| 312. Decl. = 72°11'. | 951. AR = 6 ^h 30',7. Media trium in linea recta. |
| 346. Major ipsa I. ex vicinissimis, (5) (5). | 955. Major ipsa I. ex pervicinis. |
| 378. Duarum sequens minor. | 959. Duarum prior. |
| 413. AR = 3 ^h 23',5. | 1001. Minor ipsa est I. ex aequalibus. |
| 459. Sequens duarum. | 1006. Decl. = 62°50'. |
| 468. AR = 3 ^h 44',5. | 1032. Decl. = 48°48'. |
| 479. Est P. III. 213. | 1034. Minor australis duarum. |
| 499. Duarum borealis. | 1046. AR = 7 ^h 4',8, Decl. = 14°50'. |
| 547. Duarum australis. | 1051. Major ipsa I. ex vicinis. |
| 549. Decl. = 9°34'. | 1065. = H. N. 61. |
| 550. = H. N. 67. | 1115. Prior duarum. |
| 587. Nullum est dubium quin sit H. IV. 73. | 1138. Est 278 catalogi anno 1822 editi. |
| 681. AR = 5 ^h 7',6. | 1139. In catalogo anni 1822 non occurrit. |
| 697. Decl. = 15°53'. | 1140. Est 280 catalogi anno 1822 editi. |
| 706. Media, maxima trium. | 1194. Decl. = 2°26'. |
| 719. IV. (7). (9). Sed major ipsa I. ex vicinissimis,
(7) (10). | 1210. Sequens duarum. |
| | 1237. AR = 8 ^h 21',5, Decl. = 9°3', II. (9)(12).
Prior australis duarum. |

1259. $AR = 8^{\circ}35',9$, Decl. = $39^{\circ}5'$.
 1310. $AR = 8^{\circ}56',1$, Decl. = $48^{\circ}3'$.
 1407. Decl. = $65^{\circ}23'$.
 1426. Major ipsa I. ex vicinissimis.
 1466. = H. N. 36.
 1562. Australis duarum.
 1571. Non I., sed III.
 1636. Declinatio est $+ 6^{\circ}16'$ non $- 6^{\circ}16'$.
 1687. Major ipsa I. ex vicinis.
 1720. Decl. = $83^{\circ}50'$.
 1773. Non II. et V., sed IV. et V.
 1793. Non III., sed I. II.
 1865. = H. N. 114.
 1919. Non est Bootis 103.
 2041. $AR = 16^{\circ}12',8$.
 2071. Duarum australis. Lucida praecit, quae est P.XVI.
 136. Duplex ipsa non occurrit in catalogo Siculo.
 2098. Prior duarum.
 2099. Decl. = $70^{\circ}39'$.
 2108. Non I., sed IV.
 2133. I. (9) (10).
 2215. $AR = 17^{\circ}39',2$; (6) (8), vicinissimae.
 2224. Major duarum.
 2226. Australis duarum aequalium.
 2241. Non I., sed IV.
 2256. Non II., sed IV.
 2302. Major ipsa II. (7) (10).
 2358. Duarum borealis.
 2344. Minor sequens duarum.
 2367. Major ipsa I. ex (7) (7.8), vicinissimis.
 2380. Est IV. (6) (8). Sed altera III. (8.9) (9) in vicino.
 2392. Major ipsa I.
 2442. Duarum australis.
 2444. Major in parallelo praecedit.
 2458. Major insequitur.
 2463. Prior duarum.
 2476. Non I., sed IV.
 2534. = H. II. 69.
 2549. Decl. = $62^{\circ}57'$.
 2608. Non H. IV. 64, sed H. IV. 100.
 2659. Major ipsa I. (8) (9.10).
 2669. $AR = 20^{\circ}15',4$, Decl. = $55^{\circ}33'$. Non I., sed IV.
 2680. Pro II. IV. lege IV.
 2706. Sequens duarum lucidarum.
 2709. Duarum borealis prior.
 2725. Pro (7.9) (8) lege (7.8) (9).
 2734. (8) (8.9).
 2737. Major ipsa I. ex vicinissimis.
 2802. Non II., sed I. (8) (8).
 2809. Haec est fortasse H. IV. 38.
 2814. (8) (10).
 2821. Prior duarum.
 2827. Decl. = $62^{\circ}49'$. Non vero est 734 catalogi anno 1822 editi.
 2833. Trium postrema maxima.
 2849. Minor australis duarum.
 2872. Minor ipsa I. (8) (8) ex vicinissimis.
 2881. (7.8) (8).
 2914. Non II. et IV. sed, V. et V.
 2928. Non III., sed I.
 2965. Prior duarum.
 2992. Duarum sequens.
 3037. I. et IV. (7) (8) (9).
 3056. Major ipsa I. ex vicinissimis.
 3079. Major australis duarum.
 3111. $AR = 19^{\circ}18',0$, Decl. = $21^{\circ}30'$.

In his 30 stellarum positiones sunt emendatae. Non certe miraberis, per medium inter centum stellarum positiones unam correctione egere, si memineris longe plurimas singulis niti observationibus, iisque festinantissime institutis. Reliqua corrigenda interdum classem, cui stella est adscribenda, interdum magnitudines spectant. Addenda praecipue inserviunt ad stellas a prope jacentibus etiam in telescopiis minoris amplificationis facile discernendas. Videbis, si placet, denique nonnullas stellas, numero 20, quae in ipso catalogo duplices sunt allatae, jam adhibitis majoribus amplificationibus, ut ita dicam, denuo esse dissectas, ita ut jam triplices appareant. Peculiari attentione hae stellae sunt dignae. cum probabile sit, in earum nonnullis sejunctionem alterius in duas singulas effectam esse motu earum circa centrum gravitatis, quamquam in plurimis sejunctionem amplificationibus majoribus adhibitis et aëris conditioni adscribere non dubito. Stellas has accuratius hic jam inspiciamus.

STELLAE IN CATALOGO DUPLICES, JAM TRIPLICES COGNITAE.

- 102.** Stellae 10",2 inter se distantes. Anno 1831 nil animadverti. Anno 1833 vero majorem ipsam ex duabus magnitudinum 7,0 et 8,2 esse compositam vidi, quarum distantia 0",59. Vide p. 234.
- 183.** Stellae 5",7 distantes, etiam a Southio observatae. In mensuris nostris major ipsa statim ex duabus magnitudinum 7,5 et 8,2 composita est visa, quarum distantia 0",55. Vide p. 234.
- 346.** 52 Arietis. Stellae 5",2 distantes. At major semper in mensuris duplex ex aequalibus magnitudinum 6,0 est visa, quarum distantia 0",73. Vide p. 2.
- 719.** Duplex fuerat Herschelii I., ita et postea mihi et Southio. Stellae 15" distant. Sed major ipsa ex valde inaequalibus, magnitudinum 7,0 et 9,5, vicinissimis composita in primis apparuit mensuris. Distantia est 0",68. Vide p. 234.
- 734.** Duae stellae 29" distantes. Major vero ipsa annis 1831 ad 1835 ex inaequalibus magnitudinum 7,0 et 8,6 composita apparuit, quae 1",78 inter se distat. Mirum hanc comitem in lustratione anni 1825 me fugisse. Vide p. 29.
- 829.** Stellae duae exiguae 16",5 distantes, magnitudinum 9,0 et 10,7. Sed tertia stella subtilissima est prope minorem; 4",5 ab ea distans. Vide p. 227.
- 840.** Stellae 21" inter se distantes, magnitudinum 6,2 et 8,5. Sed minor ipsa inde ex primis anni 1829 mensuris ex duabus fere aequalibus composita apparuit, magnitudinum 8,5 et 8,7, quae 0",91 distant. Vide p. 12.
- 955.** Duae stellae 11" distantes, aequales fere. At in majori ipsa duae, magnitudinum 8,7 et 9,0, sunt conjunctae, 0",88 distantes. Sed ob exiguam altitudinem raro tantum bene sejunctae conspiciuntur. Vide p. 12.
- 1001.** Duae stellae 9" distantes, quarum major est = 7,1, minor vero ex duabus fere aequalibus, magnitudinum = 8,7 et 9,0, composita, quae 1",65 distant. Vide p. 30.
- 1051.** Duplex jam dudum cognita et saepius observata, ex duabus satis lucidis, magnitudinum 6,5 et 6,7, quae 31" distant, combinata. At prope majorem est exigua magnitudinis 8,6, quae 1",22 distat. Vide p. 51.
- 1426.** Leonis 145 = H. II. 43. Duae stellae 7",4 distantes. At major in mensuris anni 1832 duplex ex stellis magnitudinum 7,8 et 8,3 apparuit, 0",62 distantibus. Vide p. 13.
- 1687.** 35 Comae Ber. = H. V. 130. Stella duplex notissima ex duabus 28",6 distantibus. At in primis statim mensuris vidi majorem, magnitudinis 5,0, alteram comitari = 7,8 in distantia 1",43. Probabile est splendorem majoris impediisse, quo minus comes prius ab astronomis per minora conspiceretur instrumenta. Vide p. 20.
- 2302.** Draconis 159. Stellae 23" distantes. Tertia stella magnitudinis 10,0 est prope majorem, 5",8 distans. Vide p. 126.
- 2367.** Duae stellae 14" distantes. De majore ipsa duplici nil neque 1829 neque initio 1832 notatum est. Inde ex 1832,80 vero majorem perspexi ex duabus esse compositam, magnitudinum 7,0 et 7,5, quae cuneum ita formant, ut distantia centrorum 0",4 non excedat. Vide p. 235.
- 2392.** Stellae 23" distantes. Sed prope majorem est tertia exigua, magnitudinis 10,2, in distantia 2",7. Vide p. 79.
- 2659.** Stellae 20" distantes. Sed prope majorem = 8,1 est exigua = 9,9, in distantia 2",9. Vide p. 81. Hanc comitem etiam ab Herschelii II. ultro inspectam esse, docent ipsius observationes quartae seriei. (Fourth series of observations p. 358.)
- 2737.** ε Equulei = H. III. 21. Stella notissima duplex, ex duabus magnitudinum 5 et 7, quae 10",9 distant. Neque in lustratione nec in mensuris annorum 1825, 1829, 1831 et 1832, adhibitis amplificationibus = 320 et 480, ulla erat suspicio duplicis in majore naturae. Quae demum 1835 est cognita. Singulae sunt magnitudinum 5,7 et 6,2, in contactu apparentes per maximas amplificationes, ita ut centra 0",35 inter se distent. Vide p. 236.
- 2872.** P. XXII. 11. 12. Duae stellae non exiguae, 21",3 distantes. In mensuris statim perspexi minorem ex duabus fere aequalibus, magnitudinis 8,0, esse compositam, quae 0",54 distant. Vide p. 9.
- 3056.** Duae stellae 20",5 distantes. Major vero ipsa in mensuris ex duabus apparuit composita, quae 0",55 distant, et ejusdem sunt splendoris, utraque = 7,4. Vide p. 9.
- 3124.** ι Bootis = H. V. 9. Stellis denuo dissectis adnumeranda est etiam haec duplex notissima, non in catalogo quidem ipso obvia, cum distantia esset 38", at in supplementum II. p. XXXVI illata, quia stella major magnitudinis quintae est subtilissime duplex. Scilicet in mensuris inter stellas duas distantiore per amplificationem = 320 factis suspicio est orta difformitatis in ipsa majori die 11 Mart. 1836, quam confirmare videbatur inspectio per amplificationem = 600. Postea stellam etiam interdum per maximam amplificationem examinavi = 1000, nec ullum dubium relictum est. Est stella ita ex fere aequalibus oblonga, ut diametros major 0",25 excedat minorem. Vide Additamenta.

Summa omnium stellarum rejectarum est haec:

1) stellae classis IV.	333
2) stellae plus 32" distantes	20
3) stellae in acervis	7
4) stellae exiguae	63
5) stellae, in quibus comes est debilior	5
6) stellae bis catalogo illatae	27
7) stellae non in coelo repertae	23
8) stellae simplices	14
Summa	492.

Cum omnium stellarum catalogi nostri sit numerus 3112, manent 2620 observatae, quibus accedunt 21 supplementi II. p. XXXVI. Sunt itaque 2641 stellae compositae, quarum mensurae micrometricae opere nostro continentur. Quibus accedunt etiam in fine operis complures stellae aliae ita ex duabus compositae, ut distantia jaceat inter 32" et 8'.

Id jam erat propositum ut omnes stellae, quarum distantia erat minor quam 8", minime ter observarentur, i. e. tribus diversis noctibus. Ex reliquis stellis lucidiores i. e. illas, in quibus comes non minor erat magnitudine 8,2, etiam minime ter observare erat lex, residuas minime bis. Huic proposito ita respondi, ut etiam ex his residuis multae stellae sint frequentius observatae. Illas vero non raro saepius observavi, tum si in ipsis motus relativus erat cognitus, seu probabilis, tum si observationes minus bene inter se convenire videbantur, quam expectare licebat. Hinc evenit, cum numerus observationum omnium sit 10600 excedens, ut numerus medius observationum singulae stellae non minor sit quam 4. Probe est hic notandum omnes mensuras ejusdem noctis, inter easdem binas stellas non raro bis, ter et saepius iteratas, singulum observationis numerum praebuisse.

Observatio vero completa continebat:

- 1) angulum positionis minoris a majore,
- 2) distantiam inter stellas,
- 3) magnitudines stellarum,
- 4) colores stellarum;

quibus accedebant praesertim in stellis majoris distantiae:

- 5) tempus siderale observationis ex horologio lectum,
- 6) temperatura ex thermometro cognita.

Tempore siderali opus erat tum, cum effectus refractionis esset calculandus; thermometro, ut verum revolutionis cochleae pretium adhiberi posset, quod tantillo cum temperatura variatur.

Exempli gratia partem hic subjungo diarii in vigilia 6. Novembris 1835 conscripti.

Positio I. instrumenti. Therm. = — 4°, 7 R. Motus diurnus $T = 0^{\circ}24'$.

Numerus currentis	Nomen stellae, tempus sid., amplificatio.	Directio <i>W</i>	Distantiae mensura	Descriptio
10380	3055. temp. sid. = 0 ^h 50' amplificat. = 320	88,0 89,8 89,3	$l = 37,588$ $\lambda = 38,326$	$A = 7$, egregie alba $B = 10,5$
10381	23. temp. sid. = 0 ^h 37' amplificat. = 320	89,5 90,2 90,2	$l = 37,117$ 100 $\lambda = 38,795$ 790	$A = 7$, albasubflava $B = 9$, cinerea
10382	80. = P. O. 251. temp. sid. = 0 ^h 44' amplificat. = 320	150,8 148,9 149,2 149,6	$l = 36,730$ $\lambda = 39,136$ $l' = 39,303$ $\lambda' = 41,712$	$A = 7$, rubra $B = 8$, caerulea
10383	90. = 77 Piscium temp. sid. = 0 ^h 55' amplificat. = 320	7,8 8,3 7,75 8,1	$l = 35,503$ $\lambda = 37,788$ $l' = 37,869$ $\lambda' = 42,213$ $l'' = 35,220$ 220 $\lambda'' = 39,566$ 524	$A = 6$, albasubflava $B = 7$, alba
10384	86. temp. sid. = 1 ^h 4' amplificat. = 320	280,6 280,2	$l = 37,588$ $\lambda = 39,188$	$A = 8,5$ } albae $B = 9$ }
10385	37 Ceti. temp. sid. = 1 ^h 15' amplificat. = 320	118,8 118,8	$l = 35,113$ 113 $\lambda = 41,657$ 685	$A = 5$, albasubflava $B = 7$, cinerea
10386	125. amplificatio = 320	59,2 58,7 60,5	$l = 37,270$ $\lambda = 39,502$	$A = 8$, flava $B = 10,5$
10387	136. = 100 Piscium amplificatio = 320	11,2 11,8 12,3 12,0	$l = 37,342$ 360 $\lambda = 39,438$ 453	$A = 7$ } albae $B = 8$ }
10388	142. amplificatio = 320	138,0 137,3 136,9 137,3	$l = 36,745$ $\lambda = 40,040$	$A = 8$ } albae $B = 8,5$ }
10389	150. amplificatio = 320	254,8 255,3 254,5 254,8	$l = 36,044$ $\lambda = 40,728$	$A = 7,5$ } egr. albae $B = 8$ }
10390	231. = 66 Ceti amplificatio = 320	221,4 221,2	$l = 37,428$ 413 $\lambda = 39,416$ 434	$A = 5,5$, alba $B = 7,5$, cinerea
10391	237. amplificatio = 320	211,5 211,5	$l = 37,494$ $\lambda = 39,374$	$A = 8,5$ } albae $B = 9$ }
10392	Ceti 499 temp. sid. = 2 ^h 50' amplificat. = 320	287,7 287,8 287,8	$l = 33,111$ 111 $\lambda = 43,666$ 662	$A = 7$, alba $B = 7$ paulo min., alb.

Non multis explicationibus haec egent.

Prima columna numerum observationis currentem exhibet.

In columna secunda, praeter numerum stellae ex catalogo, etiam nomen invenies, si exstabat, tum tempus siderale observationis et amplificationem. Post 10385 tempus non amplius est adscriptum, cum omnes observationes ad 10391 usque proxime in meridiano sint institutae. Ad observationem 10392, post intervallum horae institutam, tempus denuo adpositum invenies.

Tertia columna lectiones singulas pro directione filorum parallela cum linea stellas jungenti continet, quarum medium si est W , angulus positionis est $P = 90^\circ + T - W$. Est vero in his omnibus stellis constans $T = + 24' = + 0^\circ,40$. Hinc jam pro stella 10380 evadit $P = 90^\circ,40 - 89^\circ,03 = 1^\circ,37$, et sic porro. Anguli singuli non ad minuta prima, sed ad decimas seu vicesimas gradus partes sunt lecti, quod multo celerius sine usu Nonii fieri poterat, et certe in omnibus distantibus intra $32''$ sufficebat, cum $32'' \cdot \sin 0^\circ,05 = 0'',028$. In majoribus vero distantibus, praesertim $1'$ excedentibus, angulos per Nonios ad singula minuta prima legere lex mihi erat.

Quarta columna eas exhibet mensuras, quae ad distantiam cognoscendam valent. In 10380 est singula tantum pro l et λ lectio, ita in pluribus. In 10381 et l et λ ex duplici observatione pendunt. In 10382 duo sunt l et λ in partibus cochleae vicinis, in 10383 tres in diversis ejus partibus. Supra jam dictum est longe majorem distantiarum nostrarum partem ex uno l et λ pendere, ut in 10380, 10384, 10386 et sic porro. Ex l et λ jam distantia d facile derivatur. Ita pro 10380 accipimus $2d = \lambda - l = 0',738$, seu $d = 5'',65$. In 10381 media sunt sumenda $l = 37',108$ et $\lambda = 38',792$, unde $2d = 1',684$ et $d = 12'',90$. In 10383 sunt tria diversa pretia, nempe $\lambda - l = 4',285$, $\lambda' - l' = 4',344$, $\lambda'' - l'' = 4',325$, quorum postremo duplex est pondus, unde medium $2d = 4',320$ atque $d = 33'',08$. Inde ex 10383 locum fili primi non amplius mutavi, unde coincidentiae seu $c = \frac{l+\lambda}{2}$ debent esse proxime constantes. Invenies vero:

		Differentia a medio
in 10383	$c = 37',382$	$- 0',015 = - 0'',23$
10384	388	$- 0,009 = - 0,14$
10385	392	$- 0,015 = - 0,23$
10386	386	$- 0,011 = - 0,17$
10387	398	$+ 0,001 = + 0,02$
10388	392	$- 0,005 = - 0,08$
10389	386	$- 0,011 = - 0,17$
10390	422	$+ 0,025 = + 0,38$
10391	434	$+ 0,037 = + 0,57$
10392	387	$- 0,010 = - 0,15$
Medium $c = 37,397$		

Postrema columna et magnitudines per numeros integros et dimidios expressas exhibet et colores stellarum, ita ut 7,5 stellam denotet, cujus magnitudinem mediam inter septimam et octavam posui. Si vero inter stellas duas, quibus magnitudinis eundem quidem assignabam scalae numerum, discrimen etiam apparebat, hoc additione enuntiavi numero stellae minoris adjecta, eam scilicet esse altera minorem, paulo minorem seu vix paulo minorem, vide 10392. Non raro expressis verbis adjectum est inter splendores stellarum nullam esse differentiam, easque prorsus aequales videri. Quod jam ad ipsas taxationes magnitudinum attinet, in stellis lucidissimis ad sextum ordinem usque plerumque judicium tuli ex stella nudo oculo inspecta, nisi interdum seu in plenilunio observabatur. In stellis subsequen- tium ordinum per tubum quaestorem de stella primaria in valde inaequalibus statim judicabam, dum minoris stellae ordo ex magno assignabatur telescopio. In stellis vero non multum inaequalibus, non vero in quaestore disjunctis, hic quidem summam dabat splendorum; quae inter singulas erat distribuenda pro relatione ex majore tubo taxata. Si exempli gratia stella in quaestore videbatur magnitudinis octavae, eaque in telescopio magno ex duabus aequalibus composita apparebat, tum utriusque ordinem 8,5

assignabam. Si stella in quaestore erat = 8,5, tum singulis ordinem nonum dabam, et sic porro. Magnitudinum ordo infimus mihi est 12, dum Herscheliuss II. ad vicesimum descendit. De hoc discrimine postea loquar sub loco.

Si omnes observationes nostras micrometricas in ea forma publici juris facere conarer, qua primo loco conscriptae sunt, cujus exemplum est particula diarii supra allata, plura certe volumina implerem. Optimum itaque duxi, quidquid una nocte de eadem stella est observatum, id ita contrahere, ut singula contineatur linea horizontali, quae in 6 columnis epocham, amplificationem, angulum directionis *P*, distantiam in minutis secundis expressam et magnitudinem exhibet. Omnes deinde ejusdem stellae mensuras, pluribus epochis factas, eodem loco compositas dedi. Colorem in capite apposui, qualis plerumque ex plurium occasionum consensu cognitus est. Hac dispositione id efficere speravi, ut astronomis non molem afferrem rudem et indigestam, sed opus ita dispositum et ordinatum, ut, quae conjuncta tantum valent, ea jam non e pluribus locis essent conquirenda, sed sub uno apparerent intuitu. Neque hoc modo fides observationum est detractata, cum et reductionis elementa omni certitudine essent cognita, et ipsae reductiones summa perficerentur cura.

Haec vero observationum contractio munus mihi injungit, ut de ipsarum observationum ratione nonnulla etiam addam, quae ex diarii archetypo quidem per se plurima paterent, jam vero minus in oculos cadunt, et de reductionum indole.

- 1) In vicinia stellae duplicis alicujus non raro tertia stella conspicitur a primaria plus 32" distans. Relatio talis stellae ad duplicem interdum mensuris est determinata. Vide si placet Dp. 910. p. 12, ubi praeter duplicem, ex duabus vicinissimis magnitudinum 8,3 et 8,8 compositam, stella multo lucidior est observata, magnitudinis 6,5, quae a media duplici 66" distat.
- 2) Primae mensurae micrometricae non eodem apparatu sunt factae, de quo supra tractavi. Cum enim Fraunhoferus micrometrum illud filare octo mensibus serius mitteret quam ipsum instrumentum, alterum micrometrum minus, ab ipso etiam Fraunhofero confectum, priusque in tubo quinque pedum Troughtoniano usitatum, ad magnum adaptavi tubum. De hoc apparatu retuli in Schumacheri literis astronomicis (Astr. Nachrichten Band I.) Numerus mensurarum hoc micrometro intra diem 19. Novembris 1824 et 16. Juli 1825 institutarum est 458. Pretium revolutionis cochleae micrometricae erat 14",950. Amplificationes habebat quatuor, quarum vires sunt 186, 250, 380 et 540. Maximas duas amplificationes in mensuris adhibui, 380 et 540. Ex quibus numeris in columna secunda textus occurrentibus, sicut ex epocha minori quam 1825,54 noscitur mensuras hoc micrometro esse institutas. Quas aliquanto minoris judico certitudinis ex causa triplici. Primum enim initio erat minor observationis exercitatio deinde ipse apparatus minoris erat perfectionis, denique campi illuminatio et luminis moderatio non ita erant aptae ut postea. Ex his mensuris itaque non exiguam partem prorsus rejeci, novasque earum loco institui. Eas vero retinendas duxi, quae de stellis erant institutae, in quibus motus aliquis vel notus, vel probabilis erat, cum pro priore epocha magni essent momenti. Neque tamen ulla causa erat, quae in mensuris minori hoc micrometro institutis constantes provocasset errores, cum sumtis mediis optime semper convenirent cum mensuris perfectione apparatu factis, quamquam inter singulas observationes discrimina apparebant aliquanto majora.

3) Micrometrum majus decem habet amplificationes, vide p. VIII. Coeli lustratio ad catalogum duplicium construendum opera ocularis, cujus vis erat 214, perfecta est. Minores amplificationes, quamquam in cometis et nebulis observandis maximae sunt utilitatis, ad stellarum duplicium mensuras nunquam adhibebantur, sed solum ad T (p. XVIII) ex motu circa axem constituendum, in quo campi latioris causa praeferendae erant. Etiam amplificationem = 214 rarissime ad mensuras adhibui, cum in toto opere vix ter occurrat. Frequentissimus vero erat usus amplificationum 320 et 480. Stellae vero inter se proximae atque satis lucidae, aut ob motum relativum majori attentione dignae per maximas vires = 600, et inde ab 1832 anno = 800 et 1000, si per aëris conditionem licebat, observabantur. Horae in nostro climate observationibus maxime secundae sunt vespertinae circa Solis occasum jacentes. In quibus eas stellas satis lucidas, quae maximas poscebant amplificationes, interdum observare coeperam, i. e. tum Sole nondum occaso, tum coelo ita per crepusculum illuminato, ut fila absque illuminatione artificiosa etiam distincte viderentur. Usus vero amplificationum harum magnarum post Solis occasum per tempus mox longius, mox brevius continuabatur. Aliquot enim horis elapsis, aër, per temperaturae deminutionem in partibus minimis ut ita dicam aequilibrio destitutus, insignem provocat stellarum scintillationem, quae non raro majores deseri jubebat amplificationes. Tum mensurae continuabatur oculari = 320, earum plerumque stellarum, in quibus comites longius a majoribus distantes non ex subtilissimis erant. Patet enim comitum debilissimarum observationem aëris conditionem poscere non minus secundam, quam stellarum majorum sibi proximarum. In tali vero aëris statu, ut ne amplificationem = 320 quidem in usum vertere possem, mensuras prorsus finire optimum duxi, cum nil magis fugiendum videatur, quam seriem bonarum observationum accessa mala vitiare, nisi pondera relativa tuto assignare valeamus. Interdum vero post mediam noctem, praesertim aestate, aëris conditio ita iterum mutatur, ut denuo maximas vires cum fructu adhibeas. At Sole ante ortum ad horizontem propius admoto, semper fere talis oritur imaginum motus tremulus, ut observationes omnino relinquantur opus sit. Noctes aestivae in universum mensuris micrometricis magis favent quam hiemales, neque crepusculum, quod tale est, ut media nocte prope solstitium sub divo libros legas, impedit, quo minus subtilissimas et detegas et observes stellas. Mensibus itaque inde a Martio ad Octobrem usque usus maximarum amplificationum est frequentior, quam mensibus superstitionibus solstitio hiemali vicinis. In maximo vero frigore, quod -16° R. excedit, observationes micrometricas paucissimas solum feci. Aër, quamvis interdum pellucidus, rarissime tantum in hac temperatura ab omnibus liberatur crystallinis humoris concretionibus, quae ob diffractiones irregulares stellarum imagines in telescopio conspicuas summo opere disturbant. At in temperatura inter -5° ad -16° R. mensurae non raro optime procedunt, imprimis postquam frigus longius durans vapores concretos praecipitatione ex aëre amovit. Attentione vero dignae videntur notitiae sequentes, quas ex longa deduxi experientia. Cuius anni diei, nec non singulis cujusque noctis horis, media aliqua temperatura est adscribenda. Si jam coelo sereno, temperatura vera est major media, tum aëris conditio observationi favere solet et amplificationes majores possunt adhiberi. Sin temperatura multo est inferior ea, quae tempori respondeat observationis, tum raro aër est talis, ut observationes instituas

micrometricas. Sume exempli gratia medio mense Septembri horis vespertinis thermometrum ad 0° R. descendisse, male observas. Quae si temperatura medio Nov. occurrit, per maximas amplificationes metiri potes. Ita plerumque ex mera thermometri inspectione et coeli, ut ita dicam, facie dijudicare valebis, num aër observationibus faveat necne. Altera experientia est haec. Quo celerius temperatura decrescit aëris, eo major est tremor stellarum, qui vero deminuitur simulac constantia oritur temperaturae. Interdum in noctis decursu temperaturae deminutionem decrescentem insequitur auctus ipsius. Tum imagines stellarum mirum in modum plerumque quiescunt, ita ut proximas inter se stellas per maximas amplificationes sejungere possis. Non vero hac aëris conditione ad numerum mensurarum augendum multum frueris, cum coelum plerumque nubibus mox obducatur. In nocte bonae conditionis plerumque ad numerum mensurarum inter 20 et 30 perveniebam, in aliis vel ad minorem, vel ad majorem. Ut enim interdum, quamvis coelum esset serenum, ne singulam quidem perficiebam mensuram, ita etiam in una nocte longiore, coelo maxime secundo, ad numerum ultra 50 progressus sum, imo ad 70, qui est maximus numerus mensurarum uno tenore perfectarum, tempus sibi poscens decem aut duodecim horarum.

- 4) In observationum commoditatem novum construxi catalogum, secundum zonas digestum, quarum prima continebat stellas a -15° ad 0° declinationis;

secunda	„	„	0	20	„
tertia	„	„	20	40	„
quarta	„	„	40	60	„
quinta	„	„	60	80	„
sexta	„	„	80	90	„

Cujus dispositionis id erat emolumentum, ut inter laborem stellas deinceps observandas facilius eligerem.

- 5) Stellae omnes primarum duarum zonarum, a -15° ad $+20^{\circ}$ declinationis, semper proxime in culminatione observabantur, seu ita ut angulus horarius raro ad 30' temporis accederet. Elevatio harum stellarum culminantium ab horizonte est inter $16^{\circ}37'$ et $51^{\circ}37'$, in qua observanti est summa in situ corporis commoditas, quae tantum facit ad observationum praecisionem. Stellas vero declinationis majoris in meridiano observare commode non licebat, propter trabes magnas statumini instrumenti subjacentes. Inde evenit, ut has stellas in distantia aliqua a meridiano observarem, nempe stellas a 20° ad 30° declinationis in angulis horariis inter 1^h et 2^h , stellas a 30° ad 40° inter 2^h et 3^h et sic porro, ita ut stellas polo proximas plerumque in angulis horariis prope 6 horarum metirer. Singulis quidem occasionibus stellae vertici viciniore et in ipsa culminatione observabantur, in quibus corporis commoditas idoneis parabatur substructionibus.
- 6) Stellae culminantes, seu meridiano intra 30' temporis vicinae, semper fere in positione I. instrumenti observabantur (p. XVIII). In hac enim tractatio instrumenti et moderatio motus paulo sunt faciliores, quam in altera, cum horologium, quod motum producit, in eadem parte sit ab axi cum tubo. Interdum vero etiam stella culminans in positione II. observabatur, seu in utraque I et II. Quod postremum imprimis in stellis difficulter duplicibus est factum, in quibus magni intererat suspicionem imperfectionis opticae in imagine stellae per transpositionem vitri objectivi erga stellam amovere. Vide si placet observationes stellae duplicis

ζ. Herculis, inter omnes ex singularissimis, p. 6 textus, quam et 1826 et 1834 in utraque positione observavi, ut et iudicii fides et mensurae praecisio augetur. Si vero stellae vertici viciniores in maioribus a meridiano distantii tractabantur, tum in angulis horariis occidentalibus positio I., in orientalibus vero positio II. obtinebat. In universum vero stellas ad Occidentem a meridiano multo saepius observavi, quam ad Orientem, quamquam non exiguus stellarum numerus in utraque parte sit mensuratus.

7) In omnibus tam distantii quam angulis, quos contextus libri nostri inde a p. 1 ad p. 248 et in Appendice III. inde a p. 280 offert, refractionem non est respecta. Effectus ipsius facili noscitur calculo. Si φ , δ , t significant latitudinem, declinationem et angulum horarium occidentalem, si porro feceris

$$\cos z = \sin \varphi \cdot \sin \delta + \cos \varphi \cdot \cos \delta \cdot \cos t$$

$$\sin p = \frac{\sin t \cdot \cos \varphi}{\sin z}$$

tum formulae pro distantia et angulo directionis ob refractionem correctis, d' et P' , ex observatis d et P derivandis, erunt:

$$Ad = d' - d = \sin 57'' \cdot d + \sin 57'' \cdot d \cdot \operatorname{tg} z^2 \cdot \cos (P - p)$$

$$AP = P' - P = -0,475 \cdot \operatorname{tg} z^2 \cdot \sin 2(P - p)$$

In stellis culminantibus est $z = \varphi - \delta$, $p = 0$; unde:

$$Ad = \sin 57'' \cdot d + \sin 57'' \cdot d \cdot \operatorname{tg} (\varphi - \delta)^2 \cdot \cos P^2 = \mu + m \cdot \cos P^2 \cdot d$$

$$AP = -0,475 \cdot \operatorname{tg} (\varphi - \delta)^2 \cdot \sin 2P = -n \cdot \sin 2P$$

Ad calculos facilitandos constructa est sequens

TABULA QUANTITATUM μ , m et n IN STELLIS DORPATI CULMINANTIBUS.

Distantia d	μ	Declinatio	Log m	Diff. communis	Log n	n	Declinatio	Log m	Diff. communis	Log n	n
0"	0,000	- 15°	7,489	54	0,724	5,3	+ 3°	6,763	32	9,998	1,0
4	0,001	- 14	7,435	51	0,670	4,7	+ 4	6,731	32	9,966	0,9
8	0,002	- 13	7,384	48	0,619	4,2	+ 5	6,699	32	9,934	0,9
12	0,003	- 12	7,336	47	0,571	3,7	+ 6	6,667	31	9,902	0,8
16	0,004	- 11	7,289	45	0,524	3,3	+ 7	6,636	31	9,871	0,7
20	0,006	- 10	7,244	43	0,479	3,0	+ 8	6,605	31	9,840	0,7
24	0,007	- 9	7,201	42	0,436	2,7	+ 9	6,574	31	9,809	0,6
28	0,008	- 8	7,159	41	0,394	2,5	+ 10	6,544	31	9,779	0,6
32	0,009	- 7	7,118	39	0,353	2,3	+ 11	6,513	30	9,748	0,6
36	0,010	- 6	7,079	39	0,314	2,1	+ 12	6,483	30	9,718	0,5
40	0,011	- 5	7,040	37	0,275	1,9	+ 13	6,453	31	9,688	0,5
44	0,012	- 4	7,003	37	0,238	1,7	+ 14	6,422	30	9,657	0,5
48	0,013	- 3	6,966	35	0,201	1,6	+ 15	6,392	31	9,627	0,4
52	0,014	- 2	6,931	35	0,166	1,5	+ 16	6,361	30	9,596	0,4
56	0,015	- 1	6,896	34	0,131	1,4	+ 17	6,331	31	9,566	0,4
60	0,016	+ 0	6,862	33	0,097	1,3	+ 18	6,300	31	9,535	0,4
64	0,018	+ 1	6,829	34	0,064	1,2	+ 19	6,269	31	9,504	0,3
68	0,019	+ 2	6,795	32	0,030	1,1	+ 20	6,238	31	9,473	0,3
72	0,020										
76	0,021										
80	0,022										

$$Ad = \mu + m \cdot \cos P^2 \cdot d; \quad AP = -n \cdot \sin 2P$$

In stella itaque declinationis -15° refractionis maximus effectus est in distantiam $= 0,00336d = \frac{1}{300}d$ proxime, in angulum $5',3$. Ille pro maxima $32''$ distantia $0'',108$ potest facere, hic pro loco stellae $32'' \cdot \sin 5',3 = 0'',049$. In stella vero declinationis $+20^\circ$ iidem maximi effectus sunt $0'',014$ et $0'',003$, quantitates negligendae. Pro declinationibus itaque majoribus quam $+20^\circ$ refractione jure negligitur in stellis nostris duplicibus.

Ne tamen aliquid omisisse videar, quod ad mensurarum praecisionem facere possit, in 114 stellis compositis majoris distantiae et minoris ab horizonte in culminatione elevationis, vim refractionis auxilio tabulae supra allatae calculavi. Omnes has stellas, inter -15° et $+20^\circ$ declinationis sitas, quam proxime in meridiano esse observatas supra est dictum.

CORRECTIO EFFECTUS REFRACTIONIS IN STELLIS NONNULLIS DUPLICIBUS.

Pagina contextus	Numerus stellae in Catalogo	Δd	ΔP	Distantia correctae d'	Angulus correctus P'
12	910	+ 0'',053	+ 0'',01	66'',203	150'',58
29.30	734	0,013	- 0,02	29,306	243,11
38	2434	0,021	+ 0,02	25,583	147,04
81	2673.4	0,037	+ 0,01	75,622	105,59
83	2828	0,016	+ 0,01	23,806	142,48
85	3012.3	0,016	0,00	52,028	246,11
101	2944	0,068	+ 0,02	55,708	157,34
111	788	0,024	+ 0,01	36,096	147,10
113	956	0,028	+ 0,01	34,981	154,69
113	965	0,015	- 0,01	47,035	70,94
133	2776	0,088	- 0,05	85,028	51,11
147	487	0,019	- 0,05	21,749	237,32
149	761	0,072	- 0,02	68,147	201,56
155	1604	0,017	+ 0,02	58,017	96,95
161	2637	0,026	0,00	70,725	226,64
186	1138	0,044	+ 0,05	16,577	339,23
187	1627	0,022	- 0,01	20,087	196,31
189	2938	0,024	+ 0,02	19,561	163,25
190	436	0,037	- 0,07	30,252	232,33
190	696	0,023	- 0,01	31,735	28,14
191	1183	0,042	+ 0,04	31,009	326,31
192	1659	0,061	+ 0,02	27,143	351,91
192	1659	0,085	- 0,03	31,001	68,86
192	1659	0,021	+ 0,04	36,249	115,68
193	2191	0,008	0,00	26,488	268,20
195	2993	0,052	0,00	25,679	177,87
196	39	0,017	- 0,03	21,110	45,40
197	101	0,035	+ 0,03	21,368	339,38
198	171	0,029	+ 0,02	27,924	157,62
199	308	0,037	+ 0,04	21,152	334,19

Pagina contextus	Numerus stellae in Catalogo	Δd	ΔP	Distantia correcta d'	Angulus correctus P'
201	501	+ 0,013	+ 0,02	29,453	295,99
202	624	0,008	0,00	28,365	88,61
202	649	0,007	- 0,02	21,599	80,78
202	735	0,048	+ 0,01	30,973	355,26
203	745	0,040	+ 0,02	28,620	346,57
203	792	0,018	+ 0,03	24,958	133,96
203	798	0,038	0,00	20,763	181,42
203	809	0,008	+ 0,01	25,705	101,21
203	819	0,007	+ 0,01	25,257	96,93
204	869	0,008	+ 0,02	24,328	279,07
204	903	0,017	+ 0,05	23,342	294,37
205	914	0,012	+ 0,03	21,052	297,55
205	970	0,022	+ 0,06	20,105	128,63
206	1004	0,005	- 0,01	18,440	87,49
206	1010	0,029	- 0,01	23,709	4,49
206	1052	0,037	- 0,03	20,017	20,29
206	1069	0,068	- 0,04	25,431	193,28
207	1097	0,025	+ 0,05	20,225	312,17
207	1111	0,023	- 0,04	19,783	219,58
207	1120	0,042	- 0,07	19,657	35,28
208	1190	0,011	+ 0,02	31,591	104,18
208	1190	0,031	- 0,02	67,088	244,42
209	1261	0,024	+ 0,05	29,864	301,92
210	1329	0,012	- 0,01	27,204	245,73
210	1370	0,005	+ 0,01	17,620	95,51
211	1473	0,096	- 0,03	30,755	10,03
211	1481	0,042	+ 0,02	29,925	344,09
212	1605	0,007	+ 0,01	23,494	278,44
212	1664	0,005	0,00	17,105	271,63
213	1704	0,013	- 0,02	21,303	53,00
213	1741	0,008	- 0,01	24,888	262,31
213	1750	0,040	- 0,02	30,102	16,12
214	1773	0,030	- 0,02	27,785	335,67
214	1847	0,009	- 0,03	18,736	248,42
214	1869	0,021	+ 0,03	26,064	132,65
214	1894	0,027	- 0,05	19,479	38,71
215	1899	0,012	- 0,02	28,482	67,25
215	1914	0,039	+ 0,02	39,979	336,39
215	1966	0,021	- 0,05	23,188	232,62
216	2122	0,007	+ 0,01	20,134	280,48
218	2234	0,007	- 0,03	16,243	199,65
218	2235	0,010	+ 0,02	18,370	123,52
218	2337	0,014	+ 0,06	16,417	297,49

Pagina contextus	Numerus stellae in Catalogo	Δd	ΔP	Distantia correcta d'	Angulus correctus P'
219	2439	+ 0,033	- 0,02	22,006	199,46
220	2501	0,025	- 0,02	19,675	20,98
220	2533	0,020	- 0,02	23,183	212,16
220	2537	0,014	+ 0,03	19,124	130,03
220	2547	0,036	+ 0,04	20,736	332,39
221	2591	0,012	+ 0,02	29,197	108,57
221	2646	0,019	- 0,03	24,722	51,55
221	2661	0,027	+ 0,02	24,362	342,39
222	2683	0,015	- 0,05	22,805	67,07
224	2809	0,032	+ 0,01	31,084	163,49
224	2817	0,024	+ 0,01	25,964	156,33
224	2838	0,028	- 0,05	21,675	185,13
224	2851	0,018	+ 0,06	19,121	300,86
225	2943	0,023	+ 0,06	30,726	112,29
225	3016	0,023	+ 0,04	20,446	320,19
226	3067	0,014	- 0,03	21,177	234,42
226	3068	0,020	+ 0,04	19,737	314,31
227	829	0,014	- 0,05	16,514	238,40
230	90	0,009	- 0,01	32,845	82,72
230	150	0,059	- 0,03	36,249	195,49
231	692	0,061	- 0,01	34,918	4,17
231	782	0,021	+ 0,02	36,181	309,42
231	838	0,030	+ 0,02	40,103	326,59
231	988	0,011	- 0,01	33,068	264,39
231	1019	0,021	+ 0,03	37,861	294,08
231	1198	0,027	+ 0,01	33,074	157,51
232	1509	0,080	- 0,04	33,030	15,12
232	1591	0,051	+ 0,01	53,826	353,84
232	1682	0,030	+ 0,04	33,683	308,81
232	2391	0,047	+ 0,03	37,967	332,59
232	2425	0,056	- 0,01	32,126	183,21
232	2436	0,015	+ 0,01	34,599	308,97
232	2532	0,031	0,00	34,931	5,02
232	2594	0,063	+ 0,02	35,619	171,48
232	2612	0,016	- 0,01	36,603	52,82
233	2677	0,027	- 0,01	33,207	28,75
233	2733	0,023	+ 0,01	40,220	145,38
233	2754	0,013	+ 0,01	34,593	303,21
233	3093	0,024	+ 0,02	33,404	135,53
246	80	0,009	+ 0,02	18,269	300,09
247	1132	0,010	- 0,02	19,267	237,85
248	747	0,033	- 0,03	35,859	223,07

- 7) In stellis triplicibus plurimis una ex ternis est primaria A , si reliquas, B et C , magnitudine superat. In hoc casu relationes sunt observatae tum inter A et B , tum inter A et C . Si vero duae erant conjunctae vicinissimae A et B : post relationem inter has ipsas cognitam mensura est facta pro medio inter A et B loco et C , i. e. inter $\frac{A+B}{2}$ atque C . At si inter B et C insignior erat vicinitas, tum aut inter A et B atque inter B et C , aut inter A et $\frac{B+C}{2}$ atque inter B et C est mensuratum. Exemplum offerunt stellae 412 p. 2, 840 p. 12, 1426 p. 13, 262 p. 14 et aliae.
- 8) Si tertia stella C valde debilis erat, non raro positionem ejus, directionibus ex A et B observatis, per intersecctionem determinavi, scilicet si forma trianguli ABC erat idonea, i. e. si angulus C non nimium a 90° aberat. In hoc casu sola distantia AB erat mensurata, et AC vel BC ex calculo inveniebantur, angulis trianguli cognitis ex directionibus AC et BC cum directione AB comparatis. Exemplum vide in stella 1659 p. 192 et alia.
- 9) Si vero pro tribus stellis A, B, C tres distantiae $AB = e$, $AC = e'$ et $BC = e''$, deinde trium linearum AB, AC et BC directiones ad circulum declinationis relatae P, P', P'' sunt ex mensura cognitae: problema relationum inter tria puncta A, B, C plus quam determinatum est, cum 6 existant aequationes, ex quibus quatuor tantum incognitae sunt deducendae, nempe lineae coordinatae punctorum B et C , si initium in A et abscissas in circulo declinationis sitas accipimus, quas x, y, x', y' nuncupamus. Si circulorum trium ex A, B, C ad polum ductorum convergentiam, ut in stellis intra minutum primum distantibus licet, negligimus, triangulumque inter A, B et C planum accipimus: problema coordinatarum probabilium ex observationibus derivandarum facillime solvitur ex theoria quadratorum minimorum. Quantitates enim observatae his exprimuntur aequationibus sex:

1. $\sqrt{x^2 + y^2} = e;$
2. $\sqrt{x'^2 + y'^2} = e';$
3. $\sqrt{(x' - x)^2 + (y' - y)^2} = e'';$
4. arc. tang. $\frac{y}{x} = P;$
5. arc. tang. $\frac{y'}{x'} = P';$
6. arc. tang. $\frac{y' - y}{x' - x} = P''.$

Faciamus:

$$\begin{aligned} \alpha &= e \cdot \cos P, & \beta &= e \cdot \sin P; \\ \alpha' &= e' \cdot \cos P', & \beta' &= e' \cdot \sin P'; \\ \alpha'' &= e'' \cdot \cos P'', & \beta'' &= e'' \cdot \sin P''; \end{aligned}$$

Erit jam:

$$\begin{aligned} x &= \alpha + \xi, & y &= \beta + \eta; \\ x' &= \alpha' + \xi', & y' &= \beta' + \eta'; \end{aligned}$$

ubi ξ, η, ξ' et η' sunt correctiones parvae quaerendae, pretiis proxime justis coordinatarum $\alpha, \beta, \alpha', \beta'$ addendae. Ex differentiatione sex aequationum, si compendii causa designavimus:

$$\begin{aligned} \sin P &= m, & \cos P &= n, \\ \sin P' &= m', & \cos P' &= n', \\ \sin P'' &= m'', & \cos P'' &= n'', \end{aligned}$$

novas nanciscimur relationes has:

$$\begin{aligned}
 n \xi + m \eta &= 0 && \text{cum pondere } p, \\
 n' \xi' + m' \eta' &= 0 && \dots\dots\dots p', \\
 n'' \xi - n'' \xi' + m'' \eta - m'' \eta' &= a && \dots\dots\dots p'', \\
 m \xi - n \eta &= 0 && \dots\dots\dots q, \\
 m' \xi' - n' \eta' &= 0 && \dots\dots\dots q', \\
 m'' \xi - m'' \xi' - n'' \eta + n'' \eta' &= b && \dots\dots\dots q'';
 \end{aligned}$$

in quibus quantitates a et b ex observatis eo deducuntur, ut facias:

$$Q = \text{arc. tang } \frac{\beta' - \beta}{\alpha' - \alpha} \text{ et } \pi = P'' - Q,$$

$$\varepsilon'' = \frac{\beta' - \beta}{\sin Q} = \frac{\alpha' - \alpha}{\cos Q},$$

$$a = -(\varepsilon'' - \varepsilon'') \text{ et } b = \varepsilon'' \cdot \sin \pi.$$

Si satis magnus est numerus et distantiarum observatarum et angulorum: tum pondera licet constituere. Si enim f, f', f'' et g, g', g'' sunt errores probabiles et distantiarum et angulorum, pondera evadent ex relationibus:

$$p = \frac{1}{f^2}, \quad q = \frac{1}{e^2 \cdot \sin g^2};$$

$$p' = \frac{1}{f'^2}, \quad q' = \frac{1}{e'^2 \cdot \sin g'^2};$$

$$p'' = \frac{1}{f''^2}, \quad q'' = \frac{1}{e''^2 \cdot \sin g''^2}.$$

Respectis jam his ponderibus, postquam compendii causa fecimus:

$$p n n + q m m = A,$$

$$p' n' n' + q' m' m' = A',$$

$$p'' n'' n'' + q'' m'' m'' = A'',$$

$$p m m + q n n = B,$$

$$p' m' m' + q' n' n' = B',$$

$$p'' m'' m'' + q'' n'' n'' = B'',$$

$$(p - q) m n = C,$$

$$(p' - q') m' n' = C',$$

$$(p'' - q'') m'' n'' = C'',$$

methodus quadratorum minimorum ad has quatuor ducit aequationes finales:

- I. $(A + A'') \xi + (C + C'') \eta - A'' \xi' - C'' \eta' = p'' n'' a + q'' m'' b = p'' \kappa + r'' \beta'' \cdot \sin \pi;$
- II. $(C + C'') \xi + (B + B'') \eta - C'' \xi' - B'' \eta' = p'' m'' a - q'' n'' b = p'' \lambda - r'' \alpha'' \cdot \sin \pi;$
- III. $-A'' \xi - C'' \eta + (A' + A'') \xi' + (C' + C'') \eta' = -(p'' n'' a + q'' m'' b) = -p'' \kappa - r'' \beta'' \cdot \sin \pi;$
- IV. $-C'' \xi - B'' \eta + (C' + C'') \xi' + (B' + B'') \eta' = -(p'' m'' a - q'' n'' b) = -p'' \lambda + r'' \alpha'' \cdot \sin \pi;$

in quibus posuimus:

$$r'' = q'' - p'',$$

$$\kappa = (\alpha' - \alpha) - \alpha'',$$

$$\lambda = (\beta' - \beta) - \beta''.$$

Facili enim negotio demonstratur esse:

$$n'' a + m'' b = (\alpha' - \alpha) - \alpha'',$$

$$m'' a - n'' b = (\beta' - \beta) - \beta'',$$

$$m'' b = \alpha'' \cdot \sin \pi,$$

$$n'' b = \beta'' \cdot \sin \pi.$$

Simplicissimae fiunt formulae, si pondera omnia inter se aequalia = 1 sunt. Tum enim:

$$A = A' = A'' = B = B' = B'' = 1, \\ C = C' = C'' = 0;$$

et aequationes finales transeunt in:

$$2\xi - \xi' = x \\ 2\eta - \eta' = \lambda \\ -\xi + 2\xi' = -x \\ -\eta + 2\eta' = -\lambda.$$

Unde

$$\xi + \xi' = 0 = \eta + \eta'; \\ \xi = \frac{1}{2}x, \quad \eta = \frac{1}{2}\lambda; \\ \xi' = -\frac{1}{2}x, \quad \eta' = -\frac{1}{2}\lambda.$$

Sin tertio casu $p = q$, $p' = q'$ et $p'' = q''$, tum erit

$$(p + p'')\xi - p''\xi' = p''x, \\ (p + p'')\eta - p''\eta' = p''\lambda, \\ -p''\xi + (p' + p'')\xi' = -p''x, \\ -p''\eta + (p' + p'')\eta' = -p''\lambda.$$

Unde:

$$p\xi + p'\xi' = 0 = p\eta + p'\eta', \\ \xi' = -\frac{p}{p'}\xi, \quad \eta' = -\frac{p}{p'}\eta;$$

atque, si ponimus:

$$N = p \cdot p' + p \cdot p'' + p' p'', \\ \xi = \frac{p' p''}{N} \cdot x, \quad \eta = \frac{p' p''}{N} \cdot \lambda; \\ \xi' = \frac{-p \cdot p''}{N} \cdot x, \quad \eta' = \frac{-p \cdot p''}{N} \cdot \lambda.$$

Methodi hujus adhibendae occasionem offert stella triplex 2703, ex tribus stellis proxime aequalibus, magnitudinum = 7,6, composita. Pag. 194 invenies medias quantitates has ex observationibus acceptas:

$$e = 25'' 095, \quad P = 291^{\circ} 15', \quad \text{ex 4 diebus;} \\ e' = 66, 717, \quad P' = 239 26, \quad \text{ex 3 diebus;} \\ e'' = 54, 380, \quad P'' = 217 54, \quad \text{ex 3 diebus.}$$

Hinc prodit:

$$\begin{array}{ll} \alpha = + 9'', 0954 & \beta = - 23'', 3887 \\ \alpha' = - 33, 9362 & \beta' = - 57, 4459 \\ \alpha'' = - 42, 9103 & \beta'' = - 33, 4048 \\ \alpha' - \alpha = - 43, 0316 & \beta' - \beta = - 34, 0572 \\ \hline k = - 0, 1213 & \lambda = - 0, 6524. \end{array}$$

Si itaque pondera omnia assumimus aequalia evadunt:

$$\xi = - 0'', 0404, \quad \eta = - 0'', 2175; \\ \xi' = + 0, 0404, \quad \eta' = + 0, 2175;$$

atque pretia maxime probabilia coordinatarum fiunt:

$$x = + 9'', 0550, \quad y = - 23'', 6062; \\ x' = - 33, 8958, \quad y' = - 57, 2284.$$

Sin vero pondera aequamus numeris dierum, $p = q = 4$, $p' = q' = 3$, $p'' = q'' = 3$, tum:

$$\begin{aligned} p p' &= p p'' = 12, & p' p'' &= 9, & N &= 33, \\ \xi &= \frac{9}{83} x = -0''0331, & \eta &= \frac{9}{83} \lambda = -0''1780; \\ \xi' &= \frac{-12}{83} x = +0''0441, & \eta' &= \frac{-12}{83} \lambda = +0''2374; \end{aligned}$$

et pretia linearum coordinatarum evadunt:

$$\begin{aligned} x &= + 9''0623, & y &= - 23''5667. \\ x' &= - 33.8921, & y' &= - 57.2085. \end{aligned}$$

Optimum vero videtur pondera ex comparatione singularum mensurarum, quales p. 194 exhibet, deducere. Si singulas distantias et singulos angulos cum mediis suis comparamus, errores probabiles ex singula mensura dantur:

$$\begin{aligned} \text{pro distantia } de &= 0''180, \\ \text{pro angulo } e.d.P. \sin 1'' &= 0''118. \end{aligned}$$

Si itaque pondus distantiae singulae = 1 supponitur, pondus ex angulo erit $\left(\frac{180}{118}\right)^2 = 2,4$. Quo assumpto erunt pondera

$$\begin{aligned} p &= 4, & q &= 9,6; \\ p' &= 3, & q' &= 7,2; \\ p'' &= 3, & q'' &= 7,2. \end{aligned}$$

Hinc: $p - q = -5,6$, $p' - q' = -4,2$, $p'' - q'' = -4,2$, $r = +4,2$;

$$\begin{aligned} A &= 8,864, & B &= 4,736, & C &= -1,891; \\ A' &= 6,113, & B' &= 4,086, & C' &= -1,839; \\ A'' &= 4,584, & B'' &= 5,614, & C'' &= -2,036. \end{aligned}$$

Aequationes finales erunt jam hae:

$$\begin{aligned} \text{I. } & 13,448 \xi - 3,927 \eta - 4,584 \xi' + 2,036 \eta' = + 0,7625; \\ \text{II. } & - 3,927 \xi + 10,350 \eta + 2,036 \xi' - 5,614 \eta' = - 3,4041; \\ \text{III. } & - 4,584 \xi + 2,036 \eta + 10,697 \xi' - 3,875 \eta' = - 0,7625; \\ \text{IV. } & + 2,036 \xi - 5,614 \eta - 3,875 \xi' + 9,700 \eta' = + 3,4041. \end{aligned}$$

Ex quibus per eliminationem prodeunt:

$$\begin{aligned} \xi &= -0''0247, & \eta &= -0''2099; \\ \xi' &= +0,0549, & \eta' &= +0,2566; \end{aligned}$$

atque finalia coordinatarum pretia:

$$\begin{aligned} x &= + 9''0707, & y &= - 23''5986; \\ x' &= - 33,8813, & y' &= - 57,1893. \end{aligned}$$

Si jam ex his et distantias et directiones calculo deducimus, haec est comparatio quantitatum observatarum cum calculatis:

Distantia		Δe	Angulus		ΔP	$e. \sin \Delta P$
observata	ex calculo		observatus	ex calculo		
25,095	25,283	+ 0,188	291°15'	291° 1',5	- 13,5	- 0,099
66,717	66,470	- 0,247	239 26	239 21,3	- 4,7	- 0,091
54,380	54,527	+ 0,147	217 54	218 1,7	+ 7,7	+ 0,122

Resolutio haec problematis tum etiam inservit, si aut tertia directio sola, aut sola tertia distantia est mensurata. In casu priore, ubi non e'' sed solum P'' est cognitum, erit $p'' = 0$. Quo respecto generales valent aequationes I ad IV. Si reliqua pondera p, p', q, q', q'' unitati aequalia ponimus, resolutio aequationum ad simplicissima ducit pretia:

$$\begin{aligned}\xi &= +\frac{1}{8}\beta'' \cdot \sin \pi, & \eta &= -\frac{1}{8}\alpha'' \cdot \sin \pi, \\ \xi' &= -\frac{1}{8}\beta'' \cdot \sin \pi, & \eta' &= +\frac{1}{8}\alpha'' \cdot \sin \pi;\end{aligned}$$

in quibus $\beta'' = \beta' - \beta$, et $\alpha'' = \alpha' - \alpha$.

In posteriore casu vero ubi non P'' sed e'' est mensuratum erit $q'' = 0$. Unde pro reliquis ponderibus unitati aequalibus accipies:

$$\begin{aligned}\xi &= \frac{1}{8}\alpha, & \eta &= \frac{1}{8}\lambda, \\ \xi' &= -\frac{1}{8}\alpha, & \eta' &= -\frac{1}{8}\lambda;\end{aligned}$$

ubi $\alpha = (\alpha' - \alpha) - e'' \cdot \cos Q$ atque $\lambda = (\beta' - \beta) - e'' \cdot \sin Q$.

Exemplum habebis in mensuris stellae Dp. 939. p. 205 obviis, quae offerunt:

$$\begin{aligned}e &= 29'',837, & P &= 106^\circ 10'; \\ e' &= 39,757, & P' &= 49\ 17; \\ & & P'' &= 2\ 59.\end{aligned}$$

Unde calculo deducitur:

$$\begin{aligned}\alpha &= -8'',3077, & \beta &= +28'',6575; \\ \alpha' &= +25,9340, & \beta' &= +30,1335; \\ \alpha' - \alpha &= +34,2417, & \beta' - \beta &= +1,4760; \\ Q &= 2^\circ 28',4 \text{ atque } P'' - Q &= +0^\circ 30',6 = \pi. \\ \xi &= +0'',0044, & \eta &= -0'',1016; \\ \xi' &= -0,0044, & \eta' &= +0,1016.\end{aligned}$$

Denique coordinatae maxime probabiles:

$$\begin{aligned}x &= -8'',3033, & y &= +28'',5559; \\ x' &= +25,9296, & y' &= +30,2351.\end{aligned}$$

Ex quibus, si distantias et directiones calculamus, haec est cum observatis comparatio:

Distantia		Δe	Angulus		ΔP	$e \cdot \sin \Delta P$
observata	ex calculo		observatus	ex calculo		
29'',837	29'',739	-0'',098	106°10'	106°12',8	+ 2,8	+ 0'',024
39,757	39,831	+ 0,074	49 17	49 23,0	+ 6,0	+ 0,070
			2 59	2 48,5	-10,5	- 0,105

Exempla similia offerunt stellae Dp. 1327 p. 209 et 2549 p. 220.

*DE FIDE MENSURARUM MICROMETRICARUM HOC
OPERE CONTENTARUM.*

Examen fidei, mensurarum generi alicui habendae, duplici respectu potest institui. Duplex est enim errorum, qui committuntur, natura. Prodeunt vel ex caussis constanti sensu agentibus, vel ex sensuum defectu et infesta conditionum externarum vi, quae vocantur caussae fortuitae. Constantes errores eo minores existunt, quo perfectior est apparatus, qui in observationibus adhibetur, et quo major est observantis sollertia. Fortuiti errores observationum astronomicarum ii, qui ex aëris actione prodeunt, in instrumentis magnis non minus sentiuntur, quam in parvis, dum ii, qui ex visus et divisionum acie pendent, in illis minores evadunt. Hinc facile deducitur, usum idoneum majorum instrumentorum eam poscere cautelam, ut non nisi in secundioribus adhibeantur aëris conditionibus, cum in adversis non melius possis observare magnis instrumentis quam parvis. Solis vero in optimis aëris conditionibus mensuras facere non juvat, si magnus earum requiritur numerus, cum nimia inde prodeat temporis jactura. Stellas enim duplices in genera duo possumus dividere, difficilium et facilium. Difficiles sunt aut ex debilitate comitis, aut ex ipsius ad majorem proximitate. Difficillimae sunt eae duplices, in quibus comes debilissima est lucidae proxima. Ea jam debet esse lex, ut stellas difficiles aëre optimo mensures, faciles vero etiam in conditionibus minus secundis observare non recuses. De quibus aëris conditionibus jam pag. XLIV fusius tractatum est. Cui disquisitioni hic nonnulla etiam sunt addenda.

Si nulla esset athmosphaera, stella quaeque ex horizonte emersa eundem in omnibus altitudinibus servaret splendorem, nullusque foret Solis Lunaeque in hunc effectus. Sol vero totam athmosphaeram ita illuminat, ut stellae fixae nudo oculo evanescant interdiu; noctu Luna simili modo agit in stellas minores. Lumen stellarum ipsarum vero in athmosphaera et absorbitur et dispergitur et refrangitur. Quibus ex variis momentis aspectus stellarum vario afficiuntur modo.

Si coelum noctu est optime quidem serenum, stellae tamen pro distantia a vertice alios offerunt in telescopiis aspectus. Refractio enim stellas horizonti vicinas in colores dividit prismaticos. Ita stella α Piscis austrini, quae Dorpati in distantia $88^{\circ}33'$ a vertice meridianum transit, imaginem prismaticam mihi obtulit, cujus dimensio horizontalis erat $8''$, verticalis vero $22''$. (Obs. Dorp. Vol. IV. p. 23). Differentia $14''$ est effectus diffractionis prismatice aëris. Cum vero ipsa refractio tota $1400''$ esset in stella α Piscis austrini, experientia haec docet diffractionem verticalem esse quam proxime $\frac{1}{10}$ ipsius refractionis. Hinc sequitur in medio coelo i. e. in distantia 45° a vertice diffractionem

proxime ad $0^{\circ}6'$ accedere, quod experientiae pugnare videtur, cum in hac directione in stellarum imaginibus nulli sentiantur colores. Paradoxi hujus explicatio petenda videtur ex debilitate colorum extremorum, qui prae splendore mediae imaginis, praesertim interdiu et in campo tubi illuminato atque in stellis minoribus, evanescent. Id vero certum est imaginem prismaticam noctu, si stellae tranquillae apparent, in campo obscuro percipi posse etiam in altitudine 30° . Nocet haec luminis solutio inprimis in stellis debilibus observandis, et in stellis duplicibus pervicinis separandis, in quibus confusionem provocat imaginum duarum. Praeterea vero, quo propius ad horizontem accedit stella, eo major oritur dispersio generalis luminis ea, ex qua imago α Piscis austrini prismatica diametrum illam horizontalem $= 8''$ offert, et eo major pars luminis exstinguitur in stratis aëris densioribus et in vaporibus, eo denique insignior existit tremulus imaginum motus. Stellae itaque optime videntur in vertice, pessime prope horizontem. Quae horizontis actio in magnis telescopiis talis est, ut in altitudinibus stellarum minoribus quam 15° bonae observationes, quae majores requirunt amplificationes, institui possint nullae. Ad elevationem 45° usque horizontis actio potest percipi, inde a qua ad verticem usque stellae aequali fere modo et optime videntur. In his jam caussa patet, cur stellas quaerens duplices a polo arctico incipiens, finem laboris posuerim in declinatione -15° . Si enim numerum etiam non parvum stellarum duplicium detegendi spes erat in declinationibus australioribus, nullo modo detectas mensurare valebam ea praecisione, quam attingere in votis esse debebat. Regiones itaque australiores astronomis reliqui illis, qui ad eas contemplandas situ in terra gaudent magis nostro idoneo. Quid vero exoptatius esse potest, quam quod illustrissimus Herscheli^{us} II. munus coeli australis perlustrandi in se suscepit, telescopiis instructis validissimis, coelo sereno fruens Africae australis, cui cae sphaerae coelestis partes, quas Dorpati juxta horizontem videmus, prope ipsum transeunt verticem.

Si fides mensurarum omni rigore examinari debet, respicienda est stellarum observatarum ab horizonte distantia. Hanc curam in sequenti negleximus disquisitione, cum sufficiat mediam, ut ita dicam, cognoscere fidem. Et facile judicatur in stellis aequatore australioribus errores plerumque timendos esse mediis paulo majores. Quod discrimen vero deminuitur etiam eo, quod australes stellae plerumque in optima observabantur aëris conditione, cum in mediocri conditione mensurari non possent, ab horizontis vicinia jam turbatae.

Divisi in hoc libro stellas duplices secundum distantias in ordines octo ita ut singuli ordines finiantur in distantis $1''$, $2''$, $4''$, $8''$, $12''$, $16''$, $32''$. Ratio hujus partitionis infra exponetur. In singulis ordinibus stellas in duas subdivisiones etiam sejunxi, *lucidas* et *reliquas*. In prioribus comes non minor est magnitudine octava, unde quae reliquae vocentur per se patet. Mensurarum fides in diversis ordinibus non eadem potest esse, quia stellae ordinum primorum in egregiis plerumque aëris conditionibus per maximas amplificationes, stellae ordinum posteriorum vero per amplificationes observabantur minores et in aëris conditionibus interdum minus secundis, quanquam non malis. Lucidarum vero mensurae perfectiores debent esse reliquis, tum quia in universum facilius est mensura in stellis aequalibus quam in inaequalibus, tum quia lucidarum distantiae saepius per reiterationem in partibus cochleae vicinis observabantur. (Vide p. XLI). Ex ordinibus stellarum reliquarum eas denique stellas selegi in hac errorum probabilium disquisitione, in quibus comes erat inferior magnitudine 11^{ma} , cum singulares ob comitis debilitatem in mensura offerrent difficultates.

Error probabilis e distantiae d singulatim observatae pro eodem stellarum duplimum ordine derivatur ex formula:

$$e = 0,6745 \cdot \sqrt{\frac{\sum (Ad)^2}{n - \nu}},$$

in qua Ad sunt singularum distantiarum a mediis suis differentiae, n est numerus mensurarum, ν numerus stellarum. Si vero f est error probabilis anguli P inter stellas duas d minutis secundis distantes observati, tum directionis relativae praecisio dijudicabitur ex quantitate $g = d \cdot \sin f$, quae est constans si in omnibus distantis eadem est directionis fides. Sequitur hinc pretium probabile erroris g deducendum esse ex formula:

$$g = 0,6745 \cdot \sqrt{\frac{\sum (d \cdot \sin AP)^2}{n - \nu}};$$

ubi AP sunt singulorum angulorum observatorum a mediis suis differentiae, et d , ut supra, distantiae pro quavis stella duplici ex mensuris per medium acceptae.

In magno observationum numero calculus quadratorum sine ullo fidei detrimento potest vitari substitutis formulis:

$$e = 0,8454 \cdot \frac{\sum (Ad)}{n - \nu},$$

$$\text{et } g = 0,8454 \cdot \frac{\sum (d \cdot \sin AP)}{n - \nu}, \quad (A).$$

Nihilominus, cum summa omnium mensurarum ad myriadem accedat, calculus quantitatum g nimis molestus fuisset, nisi formulam transmutassem in:

$$g = 0,8454 \cdot d' \cdot \sin \frac{\sum (AP)}{n - \nu}, \quad (B).$$

in qua est d' media distantia stellarum eidem ordini pertinentium. Quanta sit formularum (A) et (B) congruentia exemplo probabo. Ordo I. stellarum lucidarum, in quo distantiae sunt uno minuto secundo minores, rejectis stellis 2729 et 3091, quae ob exiguam altitudinem singularem offerebant pro stellarum vicinitate difficultatem, 44 habet stellas duplices, quarum anguli sunt mensurati $176 = n$, cum mediis $44 = \nu$ comparandi. Jam ex calculo prolixiori prodit:

$$\sum (d \cdot \sin AP) = 5'',639,$$

atque:

$$g = 0,8454 \cdot \frac{5'',639}{176 - 44} = 0'',0305, \quad (A).$$

Simpliciori via accipimus:

$$\sum (AP) = 382^\circ,8, \quad d' = 0'',695;$$

unde:

$$g = 0,8454 \cdot 0'',695 \cdot \sin \frac{382^\circ,8}{132} = 0'',588 \cdot \sin 2^\circ 58',5 = 0'',0307, \quad (B).$$

Discrimen inter (A) et (B) est tantum $0'',0002$. Apparet $2^\circ 58',5 = f$ esse errorem probabilem anguli in ordine I., mediae distantiae $0'',695$ inter stellas respondentem.

Synopsin jam apponam omnium in diversis ordinibus acceptorum:

$$\begin{aligned} \text{errorum probabilium singulae distantiae} &= e, \\ \text{errorum probabilium singuli anguli pro distantia media} &= f, \\ \text{errorum probabilium singulae directionis relativae} &= g; \end{aligned}$$

et quidem in schemate triplici. Primum est schema pro stellis lucidis, secundum pro reliquis, tertium pro iis, in quibus comes debilissima est minor magnitudine 11^{ma} .

SYNOPSIS ERRORUM PROBABILIIUM.

A. TABULA ERRORUM PROBABILITER IN SINGULIS MENSURIS STELLARUM
LUCIDARUM METUENDORUM.

Ordo	Media distantia = d'	Numerus stellarum = ν	Numerus mensurarum = n	e	f	g
I	0",70	44	176	0",074	2°30',9	0",031
II	1,48	111	447	0,086	1 52,4	0,048
III	3,08	128	563	0,099	1 8,2	0,061
IV	5,62	119	469	0,116	0 48,9	0,080
V	9,79	51	222	0,127	0 30,2	0,088
VI	13,94	46	199	0,127	0 23,9	0,097
VII	19,38	48	184	0,145	0 18,3	0,103
VIII	28,19	48	178	0,156	0 14,9	0,120

B. TABULA ERRORUM PROBABILITER IN SINGULIS MENSURIS STELLARUM
RELIQUARUM METUENDORUM.

Ordo	Media distantia = d'	Numerus stellarum = ν	Numerus mensurarum = n	e'	f'	g'
I	0",75	28	94	0",087	2°27',0	0",032
II	1,54	186	642	0,109	2 1,9	0,055
III	2,93	383	1299	0,122	1 29,5	0,076
IV	5,82	426	1428	0,156	1 7,1	0,114
V	10,00	278	783	0,184	0 47,1	0,137
VI	13,88	161	455	0,201	0 38,7	0,157
VII et VIII	22,60	383	1064	0,207	0 27,0	0,178

C. TABULA ERRORUM PROBABILITER IN SINGULIS MENSURIS FARUM STELLARUM
DUPLICIUM METUENDORUM, IN QUIBUS COMITES SUNT DEBILISSIMAE,I. E. MINORES MAGNITUDE 11^{ma}.

Ordo	Media distantia = d''	Numerus stellarum = ν	Numerus mensurarum = n	e''	f''	g''
II et III	2",59	14	49	0",176	2°27',8	0",111
IV	5,92	17	55	0,221	2 2,1	0,212
V	10,46	22	59	0,362	1 20,7	0,246
VI	14,19	11	37	0,376	0 59,6	0,246
VII et VIII	21,93	12	35	0,371	0 55,6	0,365

Apparet tabulas *A* et *B* maxima fide esse dignas, cum tanto observationum nitantur numero, altera 2438 mensuris 595 stellarum altera 5765 mensuris 1845 stellarum. Tabula *C*, quae ex 235 mensuris 76 stellarum est deducta, minus certa est. Tota itaque disquisitio

ex 8516 mensuris stellarum 2516 pendet. Numerus vero omnium mensurarum hoc libro contentarum etiam major est, cum 10000 excedat. Sed plures stellae sunt, quae non ordinibus nostris adnumerentur vel ob majorem quam 32" distantiam, vel ob stellarum debilitatem. Aliae vero stellae, in ordinibus obviae, in disquisitione hac erant prorsus rejiciendae, scilicet eae, in quibus motus seu distantiae seu anguli indubie erat cognitus, cum differentias offerrent non ex erroribus fortuitis ortas, sed legem aliquam sequentes.

Quae jam ex synopsi nostra maxime attentione digna derivari possunt, hic accuratius exponam :

- 1) Si tabulam *A* attentius inspicimus, errores probabiles *e* et *g*, tam distantiae quam directionis, cum distantia augeri perspicimus. Hoc partim ex eo explicatur, quod in ordinibus primis per amplificationes majores et in secundioribus aëris conditionibus observatum est, partim vero ex natura ipsa mensurarum per micrometrum filare institutarum. Scilicet ad mensuram et distantiae et directionis perficiendam opus est ut utraque stella a filo secetur, quod in universum eo certius oculo dijudicari potest, quo minor est inter stellas distantia. Directio enim oculi in partes campi diversas mensurae aciei nocet, unde id efficitur ut ad majores distantias, a 24" ad 32", nullo modo maximas amplificationes a 600 ad 1000 possis adhibere, sed minores tantum 320 et 480. In stellis vero inter se vicinissimis ex imaginum confluxu aliud nascitur impedimentum, quod unice usu maximarum amplificationum in distantis mensurandis tolli potest. Hoc factum esse probat tabula, cum errores distantiae in ordine I. minores sint quam in ordine II.
- 2) Idem, quod tabula *A* offert, etiam in *B* reperitur, errores cum distantia augeri, et quidem in his reliquis stellis celerius etiam quam in lucidis.
- 3) Si tabulas *A* et *B* inter se comparamus, in omnibus ordinibus reperimus stellas lucidas majori praecisione esse observatas quam reliquas. Prodit enim:

in ordine	I. $e' = 1,12 e$, $g' = 1,003 g$;
—	II. $e' = 1,13 e$, $g' = 1,12 g$;
—	III. $e' = 1,23 e$, $g' = 1,25 g$;
—	IV. $e' = 1,34 e$, $g' = 1,42 g$;
—	V. $e' = 1,45 e$, $g' = 1,56 g$;
—	VI. $e' = 1,58 e$, $g' = 1,62 g$;
—	VII et VIII. $e' = 1,36 e$, $g' = 1,50 g$.

- 4) In omnibus ordinibus errores *g* et *g'* sunt minores quam *e* et *e'*, quo significatur praecisionem directionum majorem esse quam distantiarum. Hoc plane ex eo explicatur, quod in directionibus metiendis errores ex apparatu mensorio prodeunt nulli, cum in circulo positionum diviso singula minuta prima possint legi, et numerus indicis pro motu diurno T, pag. XVIII, majori fide possit cognosci, quam qua in distantis ad 32" usque opus est. Directionis itaque errores unici sunt optici. In distantis vero mensurandis errores non ex sola visus aberratione sed etiam ex cochleae imperfectione, ejusque in actione defectu oriantur necesse est. Errorum *g* et *g'* cum *e* et *e'* est haec secundum ordines comparatio :

in ordine	I. $\frac{e}{g} = 2,30$	$\frac{e'}{g'} = 2,72$
—	II. 1,79	1,98
—	III. 1,62	1,61
—	IV. 1,45	1,37
—	V. 1,44	1,35
—	IV. 1,31	1,29
—	VII. 1,41	} 1,16
—	VIII. 1,30	

Videmus distantiarum praecisionem eo magis a praecisione directionum superari, quo sibi stellae sunt viciniores. In ipsis stellis vicinissimis ordinis I. id maxime fieri ex ipsa observationum natura explicatur, cum distantiarum mensura propter filorum diametros difficilior evadat, anguli vero directionis, stellis inter bina fila parallela interpositis, ea mensurentur facilitate, quam tubi vis optica praebet.

- 5) Quomodo errores angulorum ipsorum a distantis pendeant, columnae monstrant, quae f et f' exhibent, ad quas dijudicandas medias distantias cujusvis ordinis $d' = \frac{z'd}{v}$ in columna verticali secunda apposui. Dum in lucidarum ordine VIII. error probabilis anguli singuli est tantum $14',9$, idem in ordine I. apparet $= 2^\circ 30',9$, i. e. decemplex prioris. Nihilominus respectis distantis praecisio directionis in ordine I. est quater major quam in ordine VIII., ut ex $g = 0'',031$ et $= 0'',120$ elucet. Non itaque recte faciunt auctores, qui in dijudicatione fidei observationum de stellis duplicibus institutarum pro omnibus distantis eandem fere angulorum praecisionem attigi posse praesumere videntur.
- 6) In universum mensurae eo certiores debent esse quo minor est inter stellarum magnitudines differentia, ita ut pro stella duplici ex magnitudinibus 8 et 10,5 error probabilis major sit, quam pro stella duplici ex magnitudinibus 8 et 8,5. Hoc et ipsa docet differentia inter tabulas A et B . Sed in alterum etiam discrimen attendendum est, quod ex tabulis non prodit. Stellae declinationis australis majores habent errores quam boreales. Quatenus hoc discrimen grave sit necne, examinavi. Inter 128 stellas lucidas ordinis tertii sunt 16 declinationis australis, 112 borealis; inter 383 stellas ejusdem ordinis reliquas stellae sunt australes 43, boreales 340. Errores probabiles jam separatim deducens, inveni:

$$\begin{aligned} \text{in stellis borealibus } e &= 0'',097, g = 0'',060, e' = 0'',121, g' = 0'',077; \\ \text{in stellis australibus } e &= 0'',108, g = 0'',067, e' = 0'',144, g' = 0'',075. \end{aligned}$$

Si unum g' excipis, reliqui errores sunt in stellis australibus tantillo majores; sed differentiae sunt tam exiguae, ut pro omnibus declinationibus ad -15° usque proxime eosdem liceat assumere errores probabiles, qui fortasse inter -10° et -15° demum aliquanto majores forent supponendi.

Hucusque de singulae mensurae erroribus egi. Sed spectandi sunt etiam errores probabiles relationum mediarum ex pluribus mensuris deductarum. Stellae lucidae omnes et reliquae ordinum I., II., III. et IV. minime ter sunt observatae, ceterae stellae minime bis. Pro numeris observationum 3 et 2 sequentes deduxi errorum tabulas.

D. TABULA ERRORUM PROBABILITER METUENDORUM IN MEDIIS EX TRIBUS MENSURIS DEDUCTIS.				
	Ordines	ε	φ	γ
Stellae lucidae	I	0",042	1°27',1	0",018
	II	0,050	1 3,6	0,028
	III	0,057	0 39,4	0,035
	IV	0,067	0 28,2	0,046
	V	0,073	0 17,4	0,051
	VI	0,073	0 13,8	0,056
	VII	0,084	0 10,6	0,059
	VIII	0,090	0 8,6	0,069
Stellae reliquae				
	Ordines	ε'	φ'	γ'
Stellae reliquae	I	0",050	1°24',8	0",018
	II	0,063	1 10,4	0,032
	III	0,070	0 51,7	0,044
	IV	0,090	0 38,7	0,066
Stellae, in quibus comes minor 11 ^{ma} magnitu- dine.				
	Ordines	ε''	φ''	γ''
Stellae, in quibus comes minor 11 ^{ma} magnitu- dine.	II et III	0",102	1°25',2	0",064
	IV	0,127	1 10,5	0,122
E. TABULA ERRORUM PROBABILITER METUENDORUM IN MEDIIS EX DUABUS MENSURIS DEDUCTIS.				
Stellae reliquae				
	Ordines	ε'	φ'	γ'
Stellae reliquae	V	0",130	0°33',3	0",097
	VI	0,141	0 27,4	0,111
	VII et VIII	0,146	0 19,1	0,126
Stellae, in quibus comes minor 11 ^{ma} magnitu- dine.				
	Ordines	ε''	φ''	γ''
Stellae, in quibus comes minor 11 ^{ma} magnitu- dine.	V	0",256	0°57',1	0",174
	VI	0,266	0 42,1	0,174
	VII et VIII	0,263	0 39,3	0,259

Ex his tabulis cognitionem nanciscimur errorum in mediis relationibus, ex minimo observationum numero deductis, probabiliter timendorum. Si major adest mensurarum copia = n , consultandae sunt tabulae A , B , C , ex quibus prodit:

$$\varepsilon = \frac{\varepsilon}{\sqrt{n}}, \quad \gamma = \frac{\gamma}{\sqrt{n}} \text{ et } \varphi = \text{Arc. sin } \frac{\varepsilon}{d \cdot \sqrt{n}}.$$

Ita pag. 45 stellae duplicis ζ Orionis 11 mensurae sumto medio offerunt:

pro epocha 1828,40, distantiam = 2",343, angulum = 152°12',6;

cum erroribus probabilibus $\varepsilon = 0,030$, $\varphi = 0°27,0$.

Scilicet $\varepsilon = \frac{0",099}{\sqrt{11}} = 0",030$, $\gamma = \frac{0",061}{\sqrt{11}} = 0",0184$ et $\varphi = \text{Arc. sin } \frac{0",0184}{2,343} = 0°27',0$. In ipso vero textu duo media deduxi haec:

1825,40	2',338	153°18' ex 5 mensuris;
1831,22	2,347	151 18 ex 6 mensuris;
differentia	0,009	2 0.

Singulorum mediorum et differentiae sunt errores probabiles:

0',044	40',0,
0,040	36,5,
0,059	54,1;

quae probant in 6 annorum spatio ex distantis nullum indicari motum, angulos vero vestigium mutationis innuere, cum differentia angulorum pro duabus epochis constitutorum sit duplex erroris in ea probabiliter metuendi. Idem in textus loco citato est pronunciatum. Quid posteriores anni 1836 mensurae de hac stella dent, videbis ex Additamentis in fine textus adjectis.

Cognitio errorum probabilium eo itaque inprimis inserviet, ut melius in illas stellas attendamus, in quibus mutatio aliqua seu anguli seu distantiae locum habet. Videmus exempli gratia ex tabula *A* in stellis lucidis ordinis V., distantiae mediae 10", errorem distantiae singulae probabilem esse 0',127. At primae tres mensurae stellae 1516, p. 140 occurrentes, dabant:

pro 1831,49	distantiam	9',94,
— 1831,59	—	9,92,
— 1832,82	—	9,43.

Postremae distantiae a medio priorum discrimen erat 0',50, longe majus quam ex probabilitate expectare licebat; ipsarumque mensurarum in diario archetypo examen eas maxima cura institutas esse docebat. Hoc parvum discrimen itaque me movit, ut stellas ultra observarem, et ita motum illum maxime insignem detexi, quem meae observationes diutius continuatae et priores mensurae comparatae tantum esse docuerunt, ut distantia inter epochas annorum 1790 et 1835 a 30' ad 8" decreverit. Alterum ejusdem generis exemplum offerunt anguli stellae duplicis 125 p. 197. Quatuor primae observationes dederant:

pro 1829,90	angulum	37',35,
— 1830,92	—	36,3,
— 1832,79	—	35,9,
— 1833,95	—	30,2.

Cum pro distantia 16',9 in stellis reliquis singuli anguli sit error probabilis = 34' = 0°,56, in postrema mensura vitium 5° inesse suspicabar. Non vero hanc correctionem sine novarum mensurarum consensu adhibere ausus sum, quae factae motum angularem, quotannis 1°,320 proxime, manifestaverunt.

Unicuique, qui multas instituit observationes, notum est, in magno mensurarum numero nonnullas inveniri, quae a reliquis multo magis aberrant, quam ex probabilitate expectare licebat, in quibus scilicet errores sunt commisi, qui apparatus virtuti et observationum conditionibus, saltem vulgaribus, non conveniunt. Origo talium errorum in mensuris stellarum duplicium multiplex videtur. Non raro imaginum ex aëris effectu est diffusio talis, ut tutas mensuras omnino non patiat. Observationes tum institutae malae sunt, talesque in ipso labore statim noscuntur et nota plerumque insigniuntur. Supra jam dixi me praetulisse nullas observationes facere, quam malas. Perpaucae tamen in diariis reperiuntur mensurae, quibus nota fidei dubiae est addita. Has omnes prorsus rejeci, et eo majori jure, cum earum loco semper novas instituerem observationes in

conditionibus melioribus. Sed aliae inveniuntur mensurae, nulla nota affectae, quae a summa reliquarum enormiter differunt, ideoque suspectae sunt. Graves scilicet errores interdum quidem observantis in iudicio negligentiae, saepius erroribus lectionis vel scripturae, aut apparatus ex infesta causa male officio fungenti sunt adscribendi. Errores lectionis et scripturae peculiaris sunt indolis; et primaria eorum genera hic designabo.

1. In distantiis potest esse:

- a) error integrae revolutionis in altera lectione, qui vitium distantiae $\frac{1}{4}$. $15''{,}32 = 7''{,}66$ efficit,
- b) error 10, 20 rel. partium centesimarum revolutionis cochleae, qui $0''{,}766$, $1''{,}532$ rel. in distantiam agunt.

2. In angulis committi potest:

- a) error 180° , si pro directione opposita index est lectus,
- b) error 10° , 20° seu 100° ,
- c) error singuli gradus.

Inter mensurarum plusquam vicena millia, et distantiarum et angulorum, suspectas inveni mensuras 33, numerum certe valde exiguum, cum in medio vix una sit ex sexcentis. Suspectam mensuram tum prorsus rejeci, cum ex pluribus observationibus novis, examinationis causa institutis, compertum haberem, eam nullo modo pro justa posse accipi. Plerumque vero mihi successit erroris originem probabilem designare. Alias mensuras suspectas sine haesitatione correxi, in quibus manifesta erat emendatio. Paucissimae denique remanserunt mensurae, in quibus nullum lapsus originem invenire contigit, quae tamen ex consensu aliarum observationum falsae sunt absque dubio cognitae. Juvat hoc loco completam mensurarum erronearum seu suspectarum recensionem apponere.

1. RECENSUS DISTANTIARUM SUSPECTARUM.

- a) Distantiae, in quibus est error aut integrae revolutionis $= 7''{,}658$, aut 10 partium $= 0''{,}766$.

Stella 15. p. 103. Distantia 1832. 12. Dec. observata $= 3''{,}98$ a reliquarum, duarum precedentium et unius posterioris, medio $= 4''{,}703$ differt quantitate $0''{,}723$. Addita correctione 10 partium cochleae, distantia evadet $4''{,}75$, quae a ceteris tantum $0''{,}05$ abest. Mensuram ex auctoritate trium consentientium rejeci.

— 99. — 104. Distantia 1830. 21. Jan. observata $= 7''{,}25$ a medio quatuor observationum, unius prioris et trium posteriorum, $7''{,}980$ differt $0''{,}73$. Addita correctione 10 partium differentia foret $0''{,}03$. Mensuram rejeci.

— 245. — 138. Prima distantia in textum recepta $= 10''{,}32$ a reliquis differt $0''{,}70$. Pro medio rejecta est; vide notam textus.

— 291. — 43. Distantia $3''{,}91$ observata 1821. 5. Decembr. rejecta est auctoritate duarum observationum antecedentium et quatuor insequentium, quae mediam offerunt $3''{,}255$; differentia est $0''{,}655$.

— 479. — 90. 1830. 2. Apr. Distantia $= 6''{,}72$ rejecta est auctoritate unius mensurae prioris et quatuor posteriorum, quae distantiam dant $7''{,}414$, majorem quantitate $0''{,}69$.

- Stella 816. p. 111. 1829. 2. Mart. Distantiam $5^{\prime},02$ rejeci ex consensu quatuor mensurarum deinde factarum, ex quibus medium est $4^{\prime},252$. Differentia est $0^{\prime},77$.
- 2284. — 77. 1832. 10. Apr. Distantia $4^{\prime},38$ rejecta est ex auctoritate quatuor observationum seriorum, quae medio dederunt $3^{\prime},675$. Differentia est $0^{\prime},71$.
- 2512. — 220. Primae distantiae addidi integram revolutionem = $7^{\prime},66$.
- 2554. — 221. 1831. 15. Nov. Distantia = $17^{\prime},90$ est rejecta ex auctoritate 5 mensurarum in textu exhibitarum, quae medio $18^{\prime},814$ dant. Error videtur 10 partium cochleae, quibus additis foret distantia $18^{\prime},67$.
- 2785. — 83. Secunda mensura in textu data a reliquorum medio differt $0^{\prime},68$. Error 10 partium probabilis est. Melius itaque videtur observationem excludere; quo facto pro epocha 1832,22 distantia evaderet $2^{\prime},657$.
- 2980. — 135. Distantia 1829. 23. Nov. = $3^{\prime},31$ observata est rejecta, cum a reliquis, una precedente et tribus sequentibus, quae $4^{\prime},155$ dant, $0^{\prime},85$ abesset.
- 3042. — 102. Observatio tertia ex diario daret distantiam $3^{\prime},28$. Sed nullus dubitavi, quin eam in $4^{\prime},05$ mutarem. Poscitur haec emendatio non solum ex ceterarum 5 stellae mensurarum consensu, sed etiam ex diarii examine. Duas scilicet stellas deinceps mensuravi ita:

<u>61.</u>	<u>3042.</u>
$l = 38^{\prime},507$	$38^{\prime},635$
$\lambda = 39,071$	$39,064$
Coincidentia = $38,789$	$38,850$.

Hic in coincidentiis apparet enormis differentia $0^{\prime},061$. Sed muta $38,635$ in $38,535$, erit ex stella 3042 coincidentia $38^{\prime},800$, ad $0^{\prime},011 = 0^{\prime},169$ eadem cum 61, et distantia loco $3^{\prime},28$ ea, quam recepi, $4^{\prime},05$.

b) Distantiae ita falsae, ut vitii originem nullam assignare valeam.

- Stella 80. p. 246. Rejeci distantiae mensuram die 13. Dec. 1830. institutam, quae $17^{\prime},58$ offert. Error, qui ex reliquorum septem dierum consensu indubius est, eo singularis videtur, quod distantias ex triplici mensura pendet, ita ut lectionis lapsum supponere non liceat.
- 107. — 197. Distantia observata 1830. 21. Jan. = $22^{\prime},03$ est rejecta, cum a medio quatuor observationum, unius praecedentis et trium sequentium, = $20^{\prime},790$, differret non minus quam $1^{\prime},24$.
- 338. — 199. Observata est 1830. 19. Jan. distantia = $19^{\prime},14$, quam rejeci, cum tres aliae, inter quas jacet intermedia, distantiam $20^{\prime},14$ offerant. Supposito errore 10 partium, differentia in $0^{\prime},23$ deminueretur.

Stella 2831 p. 182. Observatio 1829. 23. Nov. distantiam dat $12'',34$, quae a reliquis quatuor mensuris inter 1825 et 1831, quarum medium est $14'',970$, non minus quam $2'',63$ abest. Observationem ideo rejeci.

— 1999 — 142. Septem mensurae dant distantiam $10'',469$ in textu occurrentes. Exstat octava observatio 1832. 9. Juli interdiu instituta, quae $9'',57$ offert ex mensura reiterata. At vero stellae, magnitudinum 7,5 et 8, debiliores erant, quam ut interdiu tuto observarentur, praesertim pro declinatione — $10^\circ 57'$. Ideo mensuram rejeci.

2. RECENSIO ANGULORUM SUSPECTORUM.

Stella 90. p. 230. Angulus postremus erat ex diario = $72^\circ,32$, quem in $82^\circ,32$ mutavi, cum pro stellis $33''$ distantibus nullum esset dubium, et ita recepi.

— 212. — 58. Primum angulum ex diario = $155^\circ,6$ in $165^\circ,6$ mutatum in textu dedi.

— 352. — 60. Observatio 1831. 28 Oct. dat angulum = $355^\circ,7$. Tres reliquae offerunt = $6^\circ,83$, majorem = $11^\circ,13$, ita ut vitium 10° accipere fas videatur. Ob exiguam distantiam $3'',4$ tamen angulum emendare non ausus sum, sed potius duxi, mensuram reliquarum auctoritate prorsus rejicere.

— 355. — 60. Secundus angulus erat $138^\circ,8$, quem reliquorum auctoritate mutavi in $148^\circ,8$ et ita recepi.

— 747. — 248. 1835. die 22. Dec. angulus est observatus $222^\circ,15$, qui a 3 praecedentibus et 5 serioribus $0^\circ,95$ abest. In distantia $36''$ differentia haec est tanta, ut errorem unius gradus me fecisse probabile fiat. Melius duxi observationem prorsus rejicere.

— 984. — 113. Primus angulus erat $155^\circ,0$ ex diario. Adjeci 10° et ita in textum recepi.

— 1161. — 67. Primum angulum = $14^\circ,5$ mutavi, adjectis 180° , in oppositum $194^\circ,5$.

— 1234. — 208. Secundo angulo addidi 180° .

— 1740. — 192. In libro occurrunt 6 anguli, omnes inter $76^\circ,2$ et $76^\circ,35$ jacentes. Sed una est observatio 1828. 22 Aprilis, quae angulum $77^\circ,2$ fecit. Cum in stellis lucidis $27'',2$ distantibus singulae mensurae error probabilis ex tabula A. non $0^\circ,25$ excedat, vitium totius gradus in hac observatione vix dubitari potest. Non tamen eam emendavi, sed ex reliquarum auctoritate rejeci, ne medium ex suspecta mensura corrumperem.

— 2067. — 75. Secundum angulum reliquorum quatuor auctoritate ex $288^\circ,8$ mutavi in $298^\circ,8$.

— 2192. — 158. Quinque anguli inter 1832 et 1834 pro medio offerunt $88^\circ,44$. Observatio 1829. 21. Sept. obtulit $80^\circ,55$. In

- distantia $10''{,}4$ error 8° tolerari nequit, cum singulae mensurae sit error probabilis tantum $47'$. Vitium 10° inesse videtur. Observatio est rejecta.
- 2442. — 219. Duo anguli erant 180° diversi. Stella denuo inspecta, angulum secundum 180° mutavi et ita in textum induxi.
- 2715. — 162. Secundum angulum ex $352^\circ{,}3$ mutavi reliquorum auctoritate in $2^\circ{,}3$.
- 2866. — 163. Angulum secundum ex $314^\circ{,}3$ mutavi in $414^\circ{,}3 = 54^\circ{,}3$.
- 2989. — 40. In nota textus jam indicatum est, observationem secundam vitio 10° laborare videri et rejiciendam esse. Confirmatur hoc duobus angulis deinceps anno 1835 observatis, quos in supplementis inspicias.
- 3114. — 41. Angulum secundum pro medio correxi, cum a reliquis 10° abesset.

Ex hac recensione apparet, quinque tantum distantiarum mensuras ex toto observationum numero occurrere, quae prorsus falsae sint habendae. Ceterae 28 mensurae, et distantiarum et angulorum probabili aut indubio modo emendari poterant. In priori casu nihilominus eas rejeci, in posteriore vero in textum recepi. Ita 10 distantiae sunt rejectae, duae receptae, ex angulis vero 10 emendatos recepi et 6 rejeci. Id etiam monendum est hoc loco, ne si distantiam rejeceram, etiam angulum in textum non recepisse, ne mancas inducerem positiones, quae in epochis mediorum confusionem produxissent, et vice versa. Id jure factum est, cum loco mensurae suspectae semper novae instituerentur observationes completae, et distantiae et anguli.

8.

DE STELLARUM MAGNITUDINIBUS.

Stellae, quae in coeli superficie oculo conspiciuntur inermi, secundum splendores in sex plerumque dividuntur magnitudinum ordines. Oculus hic supponitur bonae indolis. Myops stellas ordinis sexti non videt. Qui vero singulari est praeditus visus acie, is stellas etiam complures ordine sexto minores percipere potest. Stellae itaque ordinis septimi inter telescopicas primo loco ponuntur. Si jam tot stellarum telescopicarum, in tubo aliquo conspicuarum, accipimus classes, quot sunt nudo oculo visarum, tum postremus ordo stellarum telescopicarum erit magnitudinis 12^{mae} . In egregiis tantum aëris conditionibus stellae etiam minores poterunt percipi, quas ordini 13^{mo} adscribere fas erit. Quae analogia inter stellarum adspetus, qui oculo vel nudo vel armato offeruntur, me movit ut hanc magnitudinum divisionem in observationibus per tubum nostrum Fraunhoferianum institutis tuendam ducerem. Licentiam in hac divisione regnare negari nequit. Dubito vero, quin aucto ordinum numero melius egissem. Quo facto id timendum videbatur, ne, pro aëris pelluciditate et tranquillitate varia, eadem stella pluribus diebus in ordines inferretur valde diversos. Incommodum hoc in nostrae divisionis usu non inveniri experientia docuit. Inter magnitudines primarias enim intermedias etiam in auxilium vocavi, exempli gratia 7,5, 8,5, rel; praetereaque, si inter stellas discrimen quidem apparebat, sed minus quam 0,5 scalae, addidi alteram esse minorem, paulo minorem, vix paulo minorem, aut stellas prorsus aequales iudicavi. Collatis vero magnitudinis numeris singulis, quos eidem stellae occasionibus variis adscripsi, prodiit ordinis semel taxati errorem probabilem esse 0,25 seu ad unguem $\frac{1}{4}$ notae. Scilicet hoc ex 341 notationibus centum comitum stellarum reliquarum in ordinibus II. et IV. deduxi.

Herschelius II., et in ditissimis illis catalogis stellarum compositarum ab ipso detectarum et in mensuris micrometricis perfectis, ad magnitudinem vicesimam usque descendit, et ideo loco sex quatuordecim admittit ordines magnitudinum in stellis telescopicis. Utrum hac ordinum accessione aliquid sit lucratus necne, in suspensio relinquo. Id vero interest nosse, quatenam sit relatio ordinum postremorum utrique nostrum usitatorum. In praefatione catalogi tertii (Third series etc. Phil. Transact. 1828 p. 181 et 182) Herschelius II. opinionem profert sibi probabilem, minutissimas stellulas in tubo Dorpatensi conspicuas ordinis esse censendas inter 13^{mum} et 14^{mum} suae notationis. Hinc sequeretur, omnes stellas ordinum a 14^{mo} ad 20^{mum} Herschelianum, quae in telescopio 20 pedes longo reflectenti videntur, in nostro tubo conspici non posse. Data, ex quibus in hanc inducitur opinionem,

sunt duplicis generis. Primo loco citat p. 181 stellas 6, quae in catalogo Dorpatensi sunt tantum duplices, in quibus vero Herschelius II. tertias detexit comites ordinum a 12^{mo} ad 17^{num} magnitudinis. Sed in primis tribus stellis comes tertia a majori inter 16" et 32" distat. In qua distantia non omnes stellas compositas in catalogum suscepi, sed notabiles tantum plerumque. Quarta stella est catalogi mei 950 seu 15 Monocerotis. In catalogo ipso tertia stella, cui Herschelius II. ordinem 14^{num} tribuit, non occurrit. In mensuris eam vero invenies p. 65 pluribus occasionibus observatam, meaque notatione ordini 11^{mo} adscriptam. Probabile est, in coeli lustratione habita aëris conditionem impedisse, quo minus stellam viderem, idemque in tertiis comitibus stellarum 1451 et 1607 accidisse, quibus Herschelius ordines tribuit 16 et 15. Scilicet non raro aëre non prorsus pellucido lustrationes coeli sunt institutae, si imaginum tranquillitas viciniorum duplicium separationi favebat, cum magis curarem ut arctissimas stellas sejungerem, quam ut comites minutissimas in coeli fundo casu obvias detegerem. Nil itaque hujus generis data contra telescopii nostri vim probant. Secundo vero loco duodecim citat Herschelius II. stellas Flamsteedianas, quae, quamvis sint duplices, in catalogo meo non occurrant. Comites, quas Herschelius II. detexit sunt ipsi ordinum a 14^{mo} ad 20^{num}. Ex quibus stellis tres elegi nostro telescopio examinandas, α Geminorum, ξ Pegasi et α^2 Cancri. Quid examen docuerit, jam exponam.

α Geminorum. Secundum Herschelium II. est duplex classis II., magnitudinum 4 et 14. Hanc stellam die 7. Aprilis 1828 inspexi, comitemque vidi ordinis mei decimi. Mensura dedit distantiam 6",19 et angulum 229°,6.

ξ Pegasi. Herschelio II. est classis III., ordinum 5 et 18. Die 18. Sept. 1828 per amplificationem = 480 emensus sum distantiam 12",41 et angulum 119°,6. Magnitudines notavi 5 et 12.

α^2 Cancri Herschelio est classis II. III., magnitudinum 4,5 et 20. Die 2. April. 1828. comitem statim detexi subtilissimam cujus etiam positionem ad stellam primariam mensurare valerem. Inveni distantiam = 11",55 et angulum = 326°,5.

Apparet ex his, stellas magnitudinis Herschelianaes vicesimae non solum in nostro telescopio esse conspicuas, sed ita videri, ut mensuram non respuant. Reliquas stellas examinare supervacaneum duxi, praesertim propterea quod ipse Herschelius priore occasione (Memoirs of the astronomical Society Vol. II. p. 473) stellam α^2 Cancri inter illas stellas quae de vi telescopii testimonium reddere valeant, primo citat loco.

Ex censu stellarum, in mappis Hardingianis secundum ordines magnitudinum a primo ad septimum occurrentium, splendoris in ordinibus diversis medii proportionem determinare conatus sum in catalogo ipsius Introductione. Acceperam p. XXXV relationes has:

Magnitudines	1	2	3	4	5	6	7
Distantiae mediae	1	1,71	2,57	3,76	5,44	7,86	11,34
Splendores	1	0,3421	0,1513	0,0709	0,0338	0,0162	0,0078
Numeri stellarum, quarum splendor conjunctus est idem	1	2,93	6,61	14,11	29,59	61,73	128,53

Alias proportionem regnare in magnitudinibus nostris ordinum a 7^{mo} ad 12^{num} certum est, cum numerus stellarum in his ordinibus majori augeatur ratione geometrica, quam in illis a primo ad sextum. Sed desunt subsidia ad copiam stellarum in ordinibus

inferioribus enumerandam. Juvat interim taxationem in auxilium vocare probabilem. Suppono stellam magnitudinis 12^{mae} in tubo nostro conspectam eandem oculo immittere luminis copiam, quam stella sexti ordinis nudo infert oculo. Apertura lentis objectivae libera est 9 pollicum Paris. Si jam iridis oculi humani aperturam = 0,2 pollicis accipimus, et si ex 100 radiis, qui in lentem objectivam incidunt, 85 in oculum transeunt, erit:

$$\frac{S}{s} = 0,85 \cdot 45^2 = 1721,25,$$

$$\frac{d}{D} = \sqrt{1721,25} = 41,488;$$

ubi splendores et distantiae stellae ordinis sexti per S et D , ordinis 12^{mi} per s et d designantur. Si jam tum splendores stellarum in ordinibus 6 et 12 medii tum distantiae mediae geometricam sequuntur proportionem, haec distantiarum valebit series:

Ordines	6	7	8	9	10	11	12
Distantiae	1	1,860	3,462	6,441	11,984	22,299	41,488

Si porro stellae uniformiter in spatio sunt dispositae, numeri stellarum in cubica sunt distantiarum proportione seu in serie:

$$1 \mid 6,441 \mid 41,488 \mid 267,22 \mid 1721,2 \mid 11086,7 \mid 71400,0.$$

Secundum Hardingianas mappas, quae stellas ordinis sexti proxime omnes exhibent, numerus stellarum hujus ordinis inter -15° et $+90^\circ$ declinationis est 3085; unde ex serie supra data pro diversis ordinibus numeros stellarum, distantias et splendorum relationes deducimus has, additis primis ordinibus ex censu in catalogo Introductione exposito:

Ordines magnit.	Distantia media.	Numerus stellarum ejusdem ordinis.	Numerus stellarum, quarum splendor conjunctus est idem.
1	1,00	11	1
2	1,71	33	2,93
3	2,57	98	6,61
4	3,76	245	14,11
5	5,44	761	29,59
6	7,86	3085	61,73
7	14,62	19870	231,7
8	27,21	128000	739,8
9	50,63	824400	2561,0
10	94,20	5311000	8866,0
11	175,26	34202500	30693,0
12	326,10	220300000	106254,0.

Disquisitio haec docet, distantiam, in quam penetrat tubus noster, 326 vices majorem taxari debere, quam mediam distantiam stellarum ordinis primi. Quod vero ad stellarum attinet numeros, nullum dubium est quin veri numeri sint datis longe minores. Stellas ad sextam magnitudinem usque satis aequabili modo in coeli superficie distributas esse, census mapparum Hardingianarum docuit. Vide Intr. catalogi p. XXXIII. Scilicet sunt stellae Soli in via lactea viciniores, quae nos undique cingunt. Si jam coelum offerret ubique splendorem eum, qui in ipsa media apparet via lactea, numeri supra dati forent veris propinqui. At acervus stellatus, quem nostram jure nominamus viam lacteam, ex exploratione non satis admiranda summi Herscheli I., formae est tam oblongae, ut accumulatio stellarum ordinum inferiorum locum habeat inde a polis ipsius versus viae lacteae zonam, eo major, quo minores quaeruntur stellae. Hujus accumulationis jam in

stellis ordinis sexti est indicatio aliqua (Intr. catalogi p. XXXV.); manifestior ex ipsa distributione apparet in stellis ordinis septimi. Sed idem etiam alia confirmatur via. Calculus enim noster 19870 stellas dedit ordinis septimi. In Hardingianis mappis earum vero vix 6000 inveniuntur. Discrimen hoc partim quidem eo explicari debet, quod in mappis stellae desunt, partim etiam eo, quod ordo meus septimus aliquanto inferior potest esse Hardingiano. Maxima vero pars discriminis defectui stellarum versus polos viae lacteae est adscribenda. Monendum etiam est, numerum stellarum ordinis sexti in mappis esse aliquanto majorem, cum Hardingius non paucas stellas ordinis septimi ipsi sexto adscripsisse videatur. (Intr. catalogi p. XXXIV.)

Summa stellarum ordinum 1 ad 6 ex censu est 4233. Cui si ex schemate supra dato numeros calculatos addimus duorum ordinum insequentium, prodit summa stellarum ordinum a primo ad octavum = 152103. Sed verus numerus, ut supra dixi, multo minor esse debet. Quod aliunde etiam luculenter probari potest, nempe ex ipsa nostra coeli lustratione. Examinavi scilicet circiter 120000 stellas diversas, ordinum a primo ad octavum, assumtis etiam stellis lucidioribus ordinis noni. Si jam nonnullas tantum omisi stellas ordinis octavi, cum magnam adhibuerim curam ne tales praetermitterentur stellae, numerus stellarum ordinis noni respectarum est certe multo major quam omissarum in ordinibus superioribus. Per approximationem itaque satis cautam suppono, in coeli nostra parte, a -15° ad $+90^\circ$ declinationis, numerum stellarum, in ordinibus octo primis secundum classificationem mihi acceptam occurrentium, nullo modo 100000 excedere.

Opus est, ut jam examinemus quatenus inter se convenient magnitudines in catalogo prolatae cum iis, quas opus hoc mensurarum exhibet. Comparavi notationes 160 stellarum, nempe 40 stellarum ex singulis horis O, VI, XII et XVIII ascensionis rectae. Ita primae stellae in hora O hanc offerunt comparisonem:

Numerus Catalogi	Magnitudines catalogi	Magnitudines in mensuris
1	8,5 . 9	8,5 . 10,0
2	6,5 . 6,5	6,3 . 6,6
3	7,5 . 10	7,5 . 8,5
5	6 . 10	6,0 . 10,5
7	8,5 . 9	8,0 . 8,5

Si jam S est notatio stellae primariae in catalogo, Σ in mensuris, s notatio comitis in catalogo, σ in mensuris, hae quinque stellae offerunt:

$$\begin{array}{l|l} \Sigma = S + 0,0 & \sigma = s + 1,0 \\ - 0,2 & + 0,1 \\ + 0,0 & - 1,5 \\ + 0,0 & + 0,5 \\ - 0,5 & - 0,5 \end{array}$$

Ita comparisonibus continuatis accipi:

$$\begin{array}{l} \text{in hora O ex 40 stellis } 40 \Sigma = 40 S - 0,1; \quad 40 \sigma = 40 s + 2,6; \\ \text{— VI — — } 40 \Sigma = 40 S + 3,5; \quad 40 \sigma = 40 s + 9,2; \\ \text{— XII — — } 40 \Sigma = 40 S - 1,7; \quad 40 \sigma = 40 s + 4,1; \\ \text{— XVIII — — } 40 \Sigma = 40 S - 2,1; \quad 40 \sigma = 40 s + 11,3; \end{array}$$

$$\text{summa } 160 \Sigma = 160 S - 0,4; \quad 160 \sigma = 160 s + 27,2;$$

unde:

$$\Sigma = S - 0,0025; \quad \sigma = s + 0,17.$$

Hinc patet stellas primarias duplicium in catalogo et in mensuris prorsus eodem modo esse notatas, in comitibus vero exiguum locum habere differentiam, quae in medio $\frac{1}{4}$ notae est, ita scilicet ut stella, quae est magnitudinis 10^{mae} in catalogo, in mensuris per 10,17 notata sit.

Stellarum denique magnitudines, quales mensurae nostrae offerunt, ad ordinem sextum usque cum mappis Hardingianis contuli, unde prodiit hoc:

$$\text{ex 352 stellis ordinum 1 ad 5 est } \Sigma = H - 0,361$$

$$\text{ex 148 stellis ordinis 6 est } \Sigma = H - 0,027.$$

Apparet, me stellas priorum ordinum 0,36 notae majores fecisse Hardingio, in ordine sexto vero prorsus cum illo convenire, cum differentia sit tantum $\frac{1}{37}$ notae. Conferatur etiam Introductio catalogi p. XXXVI.

Notum est stellas satis frequentes in coelo videri, quarum lumen est variabile. Spes erat fore, ut ex stellarum duplicium mensuris diversis temporibus institutis hujus phaenomeni cognitio amplificaretur. In nonnullis enim stellis duplicibus luminis variatio facile detegi potest; in illis scilicet, quarum singulae sunt ejusdem proxime splendoris. In quibus si mox unam mox alteram splendore antecellere certe videmus, nullum dubium potest relinqui, quin variatio adsit. Hujus phaenomeni exemplum maxime notabile obtulit stella notissima duplex γ Virginis. Vide p. 4. Ut vero hanc rem uberius tractarem, in omnibus stellis singulae notarum binarum relationes cum mediis erant comparandae, unde attentio in illas stellas dirigebatur, in quibus ex relationis variatione suspicio oriebatur luminis mutabilis. Primo vero loco fides erat exploranda notationis relativae inter magnitudines. Stella 59. p. 42, exempli gratia, nobis offert has magnitudines:

	Discrimina	Diff. a med.
7,5 . 8	+ 0,5	- 0,4
7,5 . 8,5	+ 1,0	+ 0,1
7 . 8	+ 1,0	+ 0,1
7 . 8	+ 1,0	+ 0,1
	Discrimen medium + 0,9	

Hoc modo omnes stellas examinavi ordinis tertii, a $2''$ ad $4''$ distantes. Unde accepi:

1. in stellis lucidis ex 504 observationibus 131 stellarum errorem probabilem singuli discriminis inter duas stellas esse 0,194 notae;
1938	H. I. 17	<i>both duskywhite inclined to red</i>	<i>albasubvirides</i>
1998	ξ LIBRAE	<i>both white</i>	<i>albasubflavae</i>
2078	17 DRACONIS	<i>white . white inclining to red</i>	<i>albae</i>
2130	μ DRACONIS	<i>both white</i>	<i>albae</i>
2202	61 OPHIUCHI	<i>white . grey</i>	<i>albae</i>
2383	5 LYRAE	<i>both white</i>	<i>egregie albae.</i>

4) Colorem egregie flavum et egregie caeruleum Herschelius I. eodem proxime notavit modo, ac ego, ut haec probant stellarum coloribus insignibus praeditarum exempla; ita tamen, ut color meus caeruleus non raro in rubrum vergat apud Herschelium.

Numerus in catalogo	Nomen stellae	Colores secundum Herschelium	Colores mei
205	γ ANDROMEDAE	<i>reddishwhite . fine light sky-blue inclined to green</i>	<i>aurea . caerulea</i>
227	ι TRIANGULI	<i>pale red or reddish white . blueish red</i>	<i>flava . caerulea</i>
470	32 ERIDANI	<i>reddish white . blue</i>	<i>flava . caerulea</i>
653	14 AURIGAE	<i>reddish white . dusky</i>	<i>subviridis . albaeaerulea</i>
1062	19 LYNCIS	<i>redwhite . blue white</i>	<i>albasubviridis . albasubcaer.</i>
1268	48 ι CANCRI	<i>redwhite . dusky garnet</i>	<i>flava . subcaerulea</i>
1487	54 LEONIS	<i>brilliant white . ashcolour or greyish white</i>	<i>albasubviridis . caerulea</i>
1657	24 COMAE BER.	<i>whitish red . blueish red</i>	<i>egregie flava . caerulea</i>
1877	ε BOOTIS	<i>reddish . blue or rather a faint lilac</i>	<i>egreg. flava . egregie caerulea</i>
1954	δ SERPENTIS	<i>white . greyish</i>	<i>albasubflava . subcinerea</i>
2140	α HERCULIS	<i>red . blue inclining to green</i>	<i>egregie flava . intense caerul.</i>
2420	0 DRACONIS	<i>pale red . dusky red</i>	<i>egregie flava . cinerea</i>
2863	ξ CEPHEI	<i>white inclining to red . dusky grey</i>	<i>subflava . caerulea</i>
	β CYGNI	<i>pale red . a beautiful blue</i>	<i>flava . caerulea</i>

ADNOTATIO. Singularis est discrepantia in notatis stellarum 1424 = γ Leonis et 2727 = γ Delphini coloribus. In γ Leonis stellae tubo Fraunhoferiano semper aurea et rubroviridis notatae sunt, eodemque modo inde ex 1818 in instrumentis meridianis, rubra et viridis. Herschelius I. majorem albam facit, minorem albam subrubicundam. Ex quo suspicari licet Herscheli I. tempore stellas fuisse egregie albas. Sed nunc stellam nudo tantum adspicias oculo opus est, ut colorem rubrum statim percipias. Similiter Herschelius I. stellas γ Delphini ambas dixit albas (both white). Mihi verò erant aurea et viridis-caerulea, jam in tubo magno Fraunhoferiano, quam inter 1818 et 1823 in instrumentis meridianis septies notatae. Si Herscheli I. notationes ex plurium dierum consensu penderent, sicut nostrae, in utraque stella duplici, et γ Leonis et γ Delphini, de colorum mutatione nullus dubitarem. Sed probabilius fortasse, Herschelium colores hos non satis accurate notasse. Antiquis temporibus Sirius rubrum fuisse constat, quae jam est stella inter omnes splendidissime alba.

- 5) Color flavus vel rubicundus in altera aut utraque stellarum aequali modo ab utroque est notatus, ita etiam ut intensitatis differentia simili apparuerit modo. Sed color mihi flavus est Herschelio I. ruber. Cujus exempla inveni haec:

Numerus in catalogo	Nomen stellae	Colores secundum Herschelium	Colores mei
61	65 PISCUM	<i>both pale red</i>	<i>subflavae</i>
590	55 ERIDANI	<i>pale red . redwhite</i>	<i>subflava . alba</i>
738	λ ORIONIS	<i>white . pale rosecolour</i>	<i>subflava . purpurea</i>
795	52 ORIONIS	<i>both white a little inclined to pale red</i>	<i>subflavae</i>
1196	ζ CANCRI	<i>red . red . pale red</i>	<i>flava . flava . minus flava</i>
1245	H. III. 49	<i>red . garnet</i>	<i>subflava . rubroflava. Colores certi</i>
1291	ϵ^2 CANCRI	<i>both pale red</i>	<i>flavae</i>
1356	ω LEONIS	<i>both red</i>	<i>flava . flavior</i>
1888	ξ BOOTIS	<i>nearly red . garnet or deeper red</i>	<i>flava . rubropurpurea</i>
1964	H. IV. 61	<i>both pale red</i>	<i>subflavae</i>
1972	π URSAE MINOR.	<i>pale red . deeper pale red</i>	<i>subflavae</i>
2010	κ HERCULIS	<i>pale red and red, or red and garnet</i>	<i>flavae</i>
2583	π AQUILAE	<i>both pale red</i>	<i>subflavae</i>
2758	61 CYGNI	<i>pale red . red; or red . garnet</i>	<i>flava . flavior</i>

- 6) Comites mihi caeruleas, minoris ut videtur intensitatis, Herschelius I. plerumque rubicundas ait. Cujus sunt jam exempla nonnulla in superioribus, quibus accedunt:

Numerus in catalogo	Nomen stellae	Colores secundum Herschelium	Colores mei
948	12 LYNCIS	<i>white . pale red</i>	<i>alba . caerulea</i>
1334	38 LYNCIS	<i>white . inclined to red</i>	<i>albaviridis . caerulea</i>
2605	ψ CYGNI	<i>white . red</i>	<i>alba . cinerea</i>
2737	ϵ EQUULEI	<i>white . much inclining to red</i>	<i>subflava . albacinerea</i>

- 7) Discrepantia inter colores Herschelianos meosque in sequentibus 13 videtur esse stellis. Sed particularis solum est in 6 earum, in 728, 845, 2055, 2264, 2272, 2276. In reliquis septem oppositio aliqua est inter notationem Herscheliam meamque.

Numerus in catalogo	Nomen stellae	Colores secundum Herschelium	Colores mei
262	ι CASSIOPEIAE	<i>white . colour of pale red blotting paper</i>	<i>flava . caerulea</i>
728	32 ORIONIS	<i>fine white . white inclined to rosecolour</i>	<i>subflavae</i>
845	41 AURIGAE	<i>white . grey inclining to red</i>	<i>egregie albae</i>
1670	γ VIRGINIS	<i>both white</i>	<i>subflavae</i>
1909	44 BOOTIS	<i>both white</i>	<i>subflava . subcaerulea</i>
1937	η CORONAE	<i>whitish stars</i>	<i>flava . flavior</i>
2032	σ CORONAE	<i>both white</i>	<i>subflava . subcaerulea</i>
2055	λ OPHIUCHI	<i>white . blue</i>	<i>flava . subcaerulea</i>
2084	ζ HERCULIS	<i>white . ashcolour</i>	<i>subflava . subrubra</i>
2264	95 HERCULIS	<i>white . bluish white</i>	<i>flavasubrubra . flavasubviridis</i>
2272	70 p OPHIUCHI	<i>white . inclining to red</i>	<i>flava . purpurea</i>
2276	H. III. 56.	<i>both red</i>	<i>albasubflava . albasubcaerulea</i>
2417	θ SERPENTIS	<i>both white</i>	<i>albaesubflavae, sed minor flavior</i>

Ex hac dilucidatione sequitur colores ab Herschelio visos meosque in omnibus fere stellis esse proxime eosdem, si respexeris constantem ex natura telescopiorum differentiam. Superest ut addam, eos colores, quos inter 1818 et 1826, in stellis duplicibus per tubos meridianos et tubum mobilem quinque pedum Troughtonianum notavi, ita cum iis consentire, quos postea per magnum vidi tubum Fraunhoferianum, ut differentiae tam telescopiorum horum refrangentium quam iudicii per 18 annos continuati prorsus nullae sint existimandae.

10.

*DE DIVISIONE STELLARUM DUPLICIUM SECUNDUM
DISTANTIARUM ORDINES.*

Herschelius I. duplices stellas intra 32" distantes in quatuor divisit classes, primam a 0" ad 4" distantiae, alteram a 4" ad 8", tertiam a 8" ad 16", quartam a 16" ad 32". Sed graves sunt caussae, quibus moveamur, ut has relinquamus classes. Divisio enim, si nullum adest certum ipsius principium, ex similitudine externa est petenda, ita vero ut caveas, ne numeri rerum in sectionibus conjunctarum nimii vel nimis inaequales evadant. Herschelius in admirabilibus duobus stellarum duplicium catalogis primae classis exhibuit stellas 97, secundae 102, tertiae 114, quartae 132, numeros modicos. Meus vero catalogus, eadem adhibita divisione, numeros offert 1007, 687, 666, 750. Qui numeri longe majores auctum poscunt divisionum, qui magis etiam necessarius videtur ob dissimilitudinem stellarum eidem classi, inprimis primae, adscriptarum. Quantum enim interest inter stellas sibi proximas ω Leonis, γ Coronae, alias, in perfectissimis tantum telescopiis sejunctas, et alias duplices primae classis, ζ Aquarii, μ Draconis, ρ Herculis, quae per tubum bonum duorum pedum optime disjunctae videntur. Huic divisionis antea usurpatae vitio ut aliquo modo mederer, jam in ipso catalogo adornando stellas primae classis in vicinissimas, pervicinas, vicinas et non insignitas sejunxeram, accuratiorem partitionem in eam occasionem differens, quam mensurae micrometricae perfectae et publici juris faciendae oblaturae erant. Loco itaque quatuor classium Herschelianaerum nunc octo accipio ordines hos:

ordo I. continet eas stellas, quarum distantiae sunt minores quam 1"				
— II.	—	—	—	— inter 1" et 2
— III.	—	—	—	2 — 4
— IV.	—	—	—	4 — 8
— V.	—	—	—	8 — 12
— VI.	—	—	—	12 — 16
— VII.	—	—	—	16 — 24
— VIII.	—	—	—	24 — 32

Ad quartum usque ordinem distantiae maximae geometricae progrediuntur. Distantias inter 8" et 16" atque inter 16" et 32" in binos ordines dividendas esse judicavi, ne nimium amplecterentur spatium, ideoque geometricam deserui progressionem. Jam stellae primi ordinis sunt vicinissimae, sibi eo similes quod summas poscunt tubi virtutes, ut cognoscantur. Ordini secundo pertinent stellae duplices pervicinae et vicinae, maxima ex

parte in egregiis tantum telescopiis conspicuae. Stellae in reliquis ordinibus occurrentes in mediocribus jam sejunguntur telescopiis, nisi comitis est nimia debilitas. Altera est enim in stellis compositis dissimilitudo, non ex distantia sed ex stellarum splendore oriunda, quae novum offerre debet divisionis principium.

Cum catalogum construerem, stellas ad magnitudinem octavam usque in coelo omnes et lucidiores nonae magnitudinis examinare proposui. Stellae itaque primariae plurimae non infra ordinem octavum splendoris descendunt. Comites vero ad ordinem 12 usque extenduntur. Si jam et comes est ejus splendoris, ut non minor sit magnitudine octava, stella est duplex lucida nuncupata, in qua duae stellae non debiles sunt conjunctae. Stellae hae lucidae prima sectione cujusque octo ordinum continentur. Altera sectio complectitur duplices reliquas, in quibus itaque comes est minor magnitudine octava. Principium hoc divisionis ex dissimilitudine latius etiam extendere potuissem, nisi veritus essem, ne stellae nimio modo dissiperentur. Ut vero fines duarum sectionum certius circumscriberem, eas stellas duplices lucidas censui, in quibus comitis splendor, sumto ex plurium dierum taxatione medio, non minor quam 8,2 evaderebat. Sectioni alteri, i. e. reliquarum, omnes jam adscriptae sunt stellae, quarum comites magnitudinem vel 8,3 vel minorem offerunt. Ex hac vero divisione gravissimum exstitit emolumentum. Stellas ita explorare, ut nulla examinanda omitteretur, ut omnes etiam comites detegerentur, quae in optimis solum conditionibus conspiciuntur, opus fuisset, quod vires astronomi etiam maxime assidui superasset. Lustrationes vero meas coeli ita transegi, ut census prodiret, qui, si non omnibus numeris perfectus esset, suo sensu tamen pro expleto posset haberi. Magnam enim curam habui, ne stellas octavae magnitudinis in examine praeterirem. Minimae quidem comites, magnitudinum 11 et 12, non raro me fugere poterant, aëre fortasse non prorsus pellucido, quamvis ad stellas proximas sejungendas idoneo. Quamquam porro distantiam 32" pro limite acceperam examinis, subtilissimas tamen comites, inter 16" et 32" a primariis distantes, multas neglexi. Ideo ordines VII et VIII in sectionibus reliquarum sunt incompleti. At respectis comitibus solum ad magnitudinem octavam usque, me etiam in his ordinibus VII et VIII non multas omisisse confido, cum praeferrem stellas in diarium recipere, quarum distantia 32" paululo excedebat, quam recipiendam minoris distantiae negligere. Ita id provenit, ut catalogus noster pro satis pleno et uniformiter absoluto debeat haberi in sectionibus stellarum duplicium lucidarum omnium octo distantiae ordinum. In sectionibus stellarum reliquarum ordinum distantiae I ad V. nil de industria neglectum esse scio. Ordo VI reliquarum incompletior esse potest, quamquam pauca excidisse confido. Ordines vero VII et VIII reliquarum multo locupletiores exhibere potuissem, si omnes comites debilissimas notassem. Sed coercendi erant limites, ne nimium evaderet susceptum. Praeterea stellas neglectas plerumque optice non physice esse conjunctas probabile erat.

Ex altera vero parte etiam ordo I. non tam completus est, quam assequi licet per idem nostrum telescopium in optimis semper conditionibus usitatum. Examen stellarum est factum per amplificationem = 214, quae valebat ad stellas subtilissime conjunctas ex difformitate indicandas, si aër favebat. Nullum vero est dubium, quin numerus stellarum ordinis I. aliquanto augetur, si stellarum inquisitio repeteretur adhibita amplificatione majori, ex. gr. = 480. Quod eo probatur, quod complures stellas in mensuris denuo dissectas vidi, in quibus ipsa lustratio nullum dederat compositionis indicium. Vide p. XXXIX. Operaeque pretium foret, omnes stellas ad ordinem sextum magnitudinis usque per maximas amplificationes in horis vespertinis maxime secundis denuo examinare.

Certum est denique per instrumentum virtute nostrum etiam superans hunc praecipue ordinem stellarum duplicium auctum iri posse.

Tabula sequens stellarum duplicium in hoc mensurarum opere inde a p. 1 ad p. 248 obviarum numeros exhibet, secundum distantiarum ordines eorumque binas sectiones. Monendum est, stellas etiam triplices additas esse numeris, et quidem ita ut bis occurrant. Ita ζ Cancri (p. 18), ex tribus stellis $A = 5,0$, $B = 5,7$ et $C = 5,5$ composita, ob A et B inter stellas lucidas ordinis II. occurrit, ob A et C , quarum distantia est $5",4$, etiam ordini IV. est adnumerata. Stella vero 1426 = Leonis 145 (p. 13), ex $A = 7,8$, $B = 8,3$, $C = 9,3$ composita, inter I. reliquas et IV. reliquas est relata. Stella ι Cassiopeiae (p. 14) est ordinis II. lucidarum et III. reliquarum, stella vero 1051 (p. 31) est ordinis II. reliquarum et VIII. lucidarum. Similiter in stellis quadruplicibus est actum.

NUMERI STELLARUM DUPLICIUM

IN VARIIS DISTANTIAE ORDINIBUS OCCURRENTIUM.

Ordo	Distantia	Duplices lucidae	Duplices reliquae
I.	0 ad 1"	62	29
II.	1 — 2	116	198
III.	2 — 4	133	402
IV.	4 — 8	130	452
V.	8 — 12	54	298
VI.	12 — 16	52	179
VII.	16 — 24	54	} 429
VIII.	24 — 32	52	
Summa		653	1987

Praeter has 2640 stellas nonnullae etiam exiguae sunt observatae, in quibus stella primaria est magnitudinis nonae seu minor. Numerus earum est 28, quarum mensurae exstant pag. 227 ad 229. Denique 44 stellae sunt observatae catalogi, quarum distantia est major quam $32''$, pag. 230 ad 233 et pag. 248. Ita totus numerus stellarum duplicium ex catalogo observatarum est $2640 + 28 + 44 = 2712$. Numerus hic est major quam ille = 2641, quem p. XL dedi. Quod inde explicatur, quod illa occasione stellae multiplices singulis tantum respondent numeris, in hac vero enumeratione duabus vel pluribus occurrunt locis.

In ipsius catalogi Introductione ex calculo probabilitatis de numero stellarum vel optice tantum compositarum vel physice i. e. attractione conjunctarum dijudicare tentavi. Majori id nunc poterit fieri fiducia, cum numeri stellarum in diversis ordinibus obvii non amplius ex distantiarum taxatione sed ex ipsis mensuris sint constituti. Ex n stellis in coeli parte a -15° ad $+90^\circ$ declinationis sine lege dispersis, stellae optice duplices intra x'' distantes occurrunt ex probabilitate:

$$m = \frac{n \cdot n - 1}{2} \cdot B \cdot x^2, \text{ si } \log B = 0,9701564 - 12.$$

Vide Introd. catalogi p. XXXVII. Adhibeamus hanc formulam in stellas nostras lucidas.

Steinheili opus egregium de photometria coelesti (*Elemente der Helligkeitsmessungen am Sternenhimmel. München, 1836*), quod nunc demum accepi, postquam haec Introductionis capita jam dudum erant exarata, ansam mihi praebet, ut nonnulla etiam adjiciam disquisitioni supra p. LXIX de stellarum splendoribus et numeris prolatae. Sola comparatio

numerorum stellarum, in magnitudinis ordinibus variis obviarum, ad distantiarum relativarum cognitionem ducit eo certiore, quo major est in ordinibus comparatis stellarum frequentia. Neque tamen haec comparatio ultra ordinem distantiae sextum debet extendi propter inaequalitatem distributionis stellarum in acervo nostro stellato, via lactea. Si vero spatium inter stellas fixas interjacens materia aliqua non absolute pellucida, quamvis longe subtilissima, est impletum, lumen in transitu ab altera stella ad alteram absorbatur necesse est. Supponamus duas stellas, quae in eadem distantia aequales apparent, a Sole abesse distantis d et d' , quarum unitas sit media distantia stellarum ordinis primi a Sole, et extinctionem lucis pro distantia = 1 talem esse, ut stella a splendore 1 in splendorem ξ transeat. Jam inter splendores duarum illarum stellarum a Sole seu Terra visarum ratio erit:

$$\frac{s'}{s} = \left(\frac{d}{d'}\right)^2 \cdot \xi^{d'-d}$$

Si itaque pro diversis magnitudinum ordinibus insequentibus tum relationes distantiarum ex numeris stellarum sunt cognitae, tum proportiones splendorum ex operationibus photometricis innotescunt: extinctionem luminis calculo deducere valemus. Proportiones splendorum Steinheilii ex photometria 30 stellarum magnitudinum a 1 ad 7,5 deducere conatus est, quam quidem ipse nec omnino certam neque satis frequentem ait. Quas si componimus cum distantiarum ex numeris determinationibus, sequens prodit comparatio:

Magnitudines	1	2	3	4	5	6
Distantiae	1	1,71	2,57	3,76	5,44	7,86
Splendores relativi, si extinctio est nulla . . .	1	0,3421	0,1513	0,0709	0,0338	0,0162
Splendores relativi ex observationibus photometricis	1	0,3521	0,1248	0,0441	0,0156	0,0055

Hinc jam, si insequentes inter se comparamus ordines, quinque nanciscimur aequationes:

I.	II.	III.
0,3532 = 0,3421 . $\xi^{0,71}$	seu 0,71 . log ξ = 0,01387	unde ξ = 1,046
0,3532 = 0,4443 . $\xi^{0,86}$	0,86 . log ξ = - 0,09865	= 0,768
0,3532 = 0,4685 . $\xi^{1,19}$	1,19 . log ξ = - 0,12265	= 0,789
0,3532 = 0,4769 . $\xi^{1,68}$	1,68 . log ξ = - 0,13037	= 0,836
0,3532 = 0,4793 . $\xi^{2,42}$	2,42 . log ξ = - 0,13262	= 0,882

Cum in III. unum tantum $\xi > 1$ at quatuor sint $\xi < 1$, sequitur comparationes omnes extinctioni luminis favere, prima inter ordines 1 et 2 excepta. In his minorem esse fiduciam propter minorem stellarum numerum, in quo major est distributionis fortuitae vis, intelligitur. Si aequationes II. secundum methodum minimorum quadratorum tractamus, evadit:

$$\log \xi = 9,94070 \quad \text{seu} \quad \xi = 0,8724;$$

quod vult in transitu ex distantia stellarum primi ordinis 0,1276 luminis interire seu exstingui.

Ut quidem tum confitendum est hanc extinctionis quantitatem fundamentis niti non satis certis, tum probabile videtur veram extinctionem inventa esse aliquanto minorem, cum numerus stellarum sexti ordinis minor sit, ac foret in aequali stellarum per coelum divisione, ita tamen negari nequit venerandi Olbersi sententiam de luminis extinctionione iis, quae jam exposui, in universum confirmari. Maximopere itaque optandum videtur, ut, postquam Steinheili sollertia subsidia ad stellas comparandas paravit, mox observator idoneis instructus apparatus ampliolem perficiat stellarum photometriam.

Speramus ipsum Steinheilium hoc munus in se suscepturum, et parti photometriae technicae seu physicae mox alteram astronomicam esse additurum amplissimam.

Quaeri jam debet, quae sit distantia stellarum ordinis 12^{mi}, quem pro tubo nostro aperturae 9 pollicum extremum accepi, si luminis extinctionem respicimus. Supra p LXIX exposui splendorem stellae ordinis duodecimi esse $\frac{1}{1721,25}$ splendoris stellae ordinis sexti. Ponamus illius distantiam esse ad distantiam stellae ordinis sexti in ratione $z : 1$; erit, cum distantia ordinis sexti = 7,86 sit accepta:

$$1721,25 \cdot \frac{1}{(7,86 z)} \cdot \xi^{7,86 z} = \frac{1}{7,86^2} \cdot \xi^{7,86}; \text{ seu } \frac{1721,25}{z^2} \cdot \xi^{7,86(z-1)} = 1$$

Sit $\frac{1}{\xi} = \mu$, erit:

$$z^2 \cdot \mu^{7,86(z-1)} = 1721,25$$

Si $\xi = 0,8724$, $\mu = 1,1463$ assumimus secundum disquisitionem supra datam, evadit:

$$z^2 \cdot 2,9470^{(z-1)} = 1721,25.$$

Quae aequatio, facili negotio per approximationem soluta, dat:

$$z = 4,9385.$$

Hoc pretio recepto, ex uniformi stellarum distributione jam prodeunt sequentes stellarum in spatio et distantiae et numeri:

Magnitudines	Distantiae	Numeri stellarum ejusdem ordinis
1	1	
6	7,86	3085
7	10,26	6856
8	13,39	15236
9	17,47	33858
10	22,79	75242
11	29,75	167210
12	38,82	371590

Numeri hi sunt longe minores quam ii, quos tabula p. LXIX exhibet. Maxima enim distantia, in quam tubus penetrat noster, ad octavam jam reducit partem, et numerus stellarum omnium conspicuarum a 261000000 in 674000, seu ad partem $= \frac{1}{400}$. At verus numerus omnium stellarum ad magnitudinem 12^{max} conspicuarum certe major est quam numerus posterior. Deducimus hinc veram extinctionem minorem esse inventa. Disquisitio itaque haec, si non eo perduxit, ut coefficientem numericum extinctionis in angustis incluserimus limitibus, monstravit tamen, primum extinctionem esse probabilem, deinde numeros stellarum deductos nulla habita extinctionis ratione esse veris longe majores. Et jure itaque numerum stellarum ordinum primi ad octavam usque minorem quam 100000 posui, quem prior calculus p. LXX = 152000, hic vero = 26323 tantum obtulerit.

Si itaque $n = 100000$ suppono, numerus stellarum ex casu compositarum evadet nimius, qui pro $x = 32''$ est:

$$m = 50000 \cdot 99999 \quad B. 32^2 = 47,799;$$

seu proxime $m = 48$. At experientia innotuerunt stellae 653 lucidae compositae, ex quibus itaque minime 605 sunt pro physice conjunctis habendae. Sed videamus etiam singulos distantiae ordines. Numeri stellarum optice compositarum in diversis distantiae ordinibus sunt in proportione sequenti:

Ordines I, II, III, IV, V, VI, VII, VIII;
 Numeri 1, 3, 12, 48, 80, 112, 320, 448.

Hinc, cum numerus totus stellarum optice duplicium sit 47,799, prodeunt numeri μ stellarum optice duplicium in singulis ordinibus expectandarum; quas cum numeris M stellarum duplicium experientia obviarum ita componamus, ut per $M - \mu = P$ numeri stellarum ex probabilitate physice copulatarum exprimantur.

Ordo	Numeri μ stellarum ex probabilitate optice duplicium	Numeri M stellarum duplicium repertarum	Numeri $P = M - \mu$ stellarum ex probabilitate per attractionem conjunctarum
I.	0,05	62	62
II.	0,14	116	116
III.	0,56	133	132
IV.	2,24	130	128
V.	3,73	54	50
VI.	5,23	52	47
VII.	14,94	54	39
VIII.	20,91	52	31
Summa	48	653	605

Ex quo prodit:

- 1) omnes stellas nostras lucidas ordinum I et II. esse physice conjunctas;
- 2) in ordinibus distantiarum III, IV, V, VI longe plurimas stellas tales esse, cum paucissimae 1, 2, 4 et 5 solum ex probabilitate sint optice compositae;
- 3) etiam in ordinibus VII et VIII lucidarum majorem numerum stellarum esse physice copulatarum;
- 4) totum numerum stellarum physice conjunctarum inter 32" distantium ita stellas optice compositas superare, ut inter 653 stellas lucidas duplices ex probabilitate sint 605 physice et 48 tantum optice conjunctae, seu inter 14 proxime 13 et 1.

Eundem calculum ad stellas nostras duplices reliquas adhibere non licet, cum de numeris stellarum magnitudinum nonae ad 12^{mag} usque prorsus incerti simus. Accedit quod census stellarum reliquarum duplicium est incompletus, primo loco quia stellarum nonae magnitudinis minor pars solum est examinata, deinde quia multas duplices ordinum VII et VIII, in quibus comites erant exiguae, rejeci, denique quia stellae comites minimae, ordinis 12^{mi}, non nisi in aëris optima conditione detegi potuerunt. Si vero stellas reliquas limitibus circumscribimus arctioribus, ita ut distantiae 16" non excedant, et magnitudines stellarum primariarum non infra 8,2 descendant, comitum vero non infra 10,2: tum census formari potest, qui numeros in diversis distantiae ordinibus ea proportione exhibet, qua in coeli reperiuntur. Ceteris stellis extra limites ita datos jacentibus rejectis, inveni numeros hos:

in ordine	I sunt stellae	16;
—	II	— 82;
—	III	— 176;
—	IV	— 214;
—	V	— 124;
—	VI	— 80.

Supponamus jam omnes 80 stellas ordinis VI esse optice duplices, seu potius, cum in hoc ordine nonnullae fortasse exciderint stellae in lustratione, stellarum optice duplicium in hoc ordine occurrentium non multo esse 80 majorem, certe non 100. Ex numero 100 nimio assumpto etiam pro reliquis ordinibus numeri μ stellarum optice compositarum ex proportione supra data 1, 3, 12, 48, 80, 112 deduci possunt, qui a M subtracti dant numeros P stellarum physice copulatarum hos:

Ordines reliquarum	Numeri μ stellarum ex probabilitate optice duplicium	Numeri M stellarum duplicium reperitarum	Numeri P stellarum ex probabilitate attractione junctarum
I	1	16	15
II	3	82	79
III	11	176	165
IV	43	214	171
V	71	124	53
Summa	129	612	483

Ex quo calculo extra dubium ponitur, stellarum illarum duplicium inter $0''$ et $12''$ distantium, in quibus primaria non minor magnitudine = 8,2 et comes non minor magnitudine = 10,2, plurimas esse physice conjunctas.

Dirigamus jam similem disquisitionem in stellas triplices. Fines jam ita constituimus, ut stellam triplicem vocemus, in qua tertiam stellam alteri ex duabus compositae inter $32''$ vicinam videmus; eamque lucidam triplicem si nulla ex tribus est minor magnitudine 8,2. Stella optice triplex formatur si duplex cum aliqua stella casu est intra $32''$ vicina. Assumpto numero stellarum ad magnitudinum octavam usque, ut supra, 100000, ex quibus experientia docuit 653 esse duplices, numerus stellarum casu triplicium lucidarum ex probabilitate erit:

$$m = 1,413497 \cdot 653 \cdot 99347. B. 32'' = 0,876.$$

Vide Introductionem ipsius catalogi p. XXXIX. Unde deducimus, cum numerus 100000 sit vero certe major, aequè proxime probabile esse nullam in coelo reperiri stellam optice triplicem lucidam, quam singulam. Experientia vero undecim dedit tales triplices, quas hic subjungo, secundum distantias ordinatas.

CATALOGUS STELLARUM LUCIDARUM TRIPLICIUM.

	Pagina textus	Numerus in catalogo	Nomen stellae	Magnitudines	Distantiae	Adnotationes
1	18	1196	ϵ CANCRI	5,0 . 5,7 . 5,5	1,1 et 5,4	Herscheli I.
2	22	1998	δ LIBRAE	4,9 . 5,2 . 7,2	1,2 et 7,0	Herscheli I.
3	45	919	11 MONOCER.	5,0 . 5,5 . 6,0	2,5 et 7,3	Herscheli I.
4	14	262	λ CASSIOPEIAE	4,2 . 7,1 . 8,1	1,9 et 7,6	Herscheli I.
5	17	948	12 LYNCEIS	5,2 . 6,1 . 7,4	1,5 et 8,7	Herscheli I.
6	236	2737	δ EQUULEI	5,7 . 6,2 . 7,1	0,4 et 10,9	
7	9	2872	P. XXII. 11.12	7,2 . 8,0 . 8,0	21,3 et 0,5	
8	142	2816	P. XXI. 248.	6,3 . 7,9 . 8,0	11,7 et 20,0	Herscheli I.
9	45	848	ANONYMA	7,3 . 8,0 . 8,2	2,3 et 28,6	
10	242	748	θ' ORIONIS	7,0,8,0,4,7,6,3	in circulo jacentes radii = $10''$	Herscheli I. <i>quadruplex, mihi quintuplex</i>
11	245	762	σ ORIONIS	4,1 . 7,5 . 7,0	12,9 et 30,0	Herscheli I. <i>triplex, mihi quadruplex</i>

Ex 11 stellis lucidis triplicibus 8 innotuerunt jam Herschelio I. Nullus jam dubito pronuntiare omnes has stellas, saltem decem ex undecim, si unam nonam excipere placet, esse stellas, quae phaenomenon offerunt ternorum Solum attractionis vi junctorum. Etenim argumentationis ex probabilitate in prioribus ductae vis valde augetur si singularum stellarum et magnitudines et distantias accuratius ponderamus. Penultima stella δ' Orionis est quadruplex ex lucidis, quibus quinta accedit stella magnitudinis 11,3 a stella A tantum $3'',9$ distans (p. 242). Quid de hac quintuplice sit judicandum facile elucet, scilicet omnes quinque stellas attractionis vi esse copulatas. Etenim probabilitas ex 653 stellis duplicibus duas sibi intra $32''$ esse casu vicinas invenitur formula:

$$m = \frac{653 \cdot 652}{2} \cdot B \cdot 32' = 0,00204.$$

Quintam vero stellam cum A esse conjunctam ob vicinitatem vix dubitari potest. Stellam σ Orionis altera etiam comitatur satellites magnitudinis 10,3 a primaria $11'',0$ distans, ita ut etiam sit quadruplex. Sed de hac comite exigua judicium ferre non audeo.

CATALOGUS STELLARUM RELIQUARUM TRIPLICIUM,
INTRA $32''$ DISTANTIUM.

	Pagina textus	Numerus in catalogo	Nomen stellae	Magnitudines	Distantiae	Anotationes
1	2	346	52 ARIETIS	6,0 . 6,0 . 10,8	0',7 et 5',2	
2	234	183		7,5 . 8,2 . 8,8	0,6 et 5,7	
3	13	1426	LEONIS 145	7,8 . 8,3 . 9,3	0,6 et 7,4	
4	30	1001		7,1 . 8,7 . 9,0	8,9 et 1,7	
5	234	102		7,0 . 8,2 . 8,4 . 10,8	0,6 et 10,2 et 29',9	Quadruplex
6	29	695		8,3 . 9,0 . 9,7	10,3 et 1,9	
7	45	780		6,7 . 7,9 . 10,2	3,8 et 10,9	
8	92	1127		6,2 . 8,0 . 9,2	5,2 et 11,3	
9	19	1331		8,0 . 8,0 . 11,5	1,2 et 11,4	
10	12	955		8,7 . 9,0 . 8,5	0,9 et 11,4	
11	116	1316		8,2 . 11,5 . 10,5	6,8 et 13,1	
12	235	2367		7,0 . 7,5 . 8,4	0,4 et 14,1	
13	234	719		7,0 . 9,5 . 8,9	0,7 et 14,8	
14	166	653	14 AURIGAE	5,0 . 7,2 . 11,0	14,7 et 12,6	
15	151	989		8,8 . 9,7 . 11,5	8,3 et 15,2	
16	35	1964		6,8 . 7,3 . 8,8	15,4 et 1,3	
17	135	2976		8,3 . 10,2 . 8,8	7,9 et 15,9	
18	38	2544		7,8 . 9,5 . 8,5	1,1 et 16,1	
19	227	829		9,0 . 10,7 . 11,7	16,5 et 4,6	Exiguae
20	65	950	15 MONOCER.	6,0 . 8,8 . 11,2	2,8 et 16,6	
21	151	996		8,0 . 9,8 . 10,3	9,3 et 17,2	
22	61	481		7,2 . 10,8 . 9,2	2,2 et 18,8	
23	174	613		7,7 . 8,7 . 11,7	19,8 et 15,8	

	Pagina textus	Numerus in catalogo	Nomen stellae	Magnitudines	Distantiae	Adnotationes
24	14	162		7,0 . 7,5 . 9,3	1,9 et 20,0	
25	81	2659		8,1 . 9,9 . 9,4	2,9 et 20,2	
26	9	3056		7,4 . 7,4 . 9,0	0,6 et 20,5	
27	12	840		6,2 . 8,5 . 8,7	21,1 et 0,9	
28	147	487		8,7 . 9,2 . 10,3	11,9 et 21,7	
29	2	412	7 TAURI	6,6 . 6,7 . 10,0	0,7 et 22,4	
30	185	484		9,0 . 9,5 . 9,0	5,4 et 22,6	
31	126	2302	DRAC. 159.	7,0 . 10,0 . 9,5	5,8 et 23,2	
32	79	2392		8,2 . 10,2 . 9,3	2,7 et 23,3	
33	180	2335		8,5 . 11,5 . 10,3	12,1 et 23,5	
34	83	2828		8,0 . 9,0 . 9,2	23,8 et 3,6	
35	112	915		8,0 . 9,0 . 12	5,9 et 24	tertia est inter 16" et 32" sed observari nequit.
36	209	1327		8,0 . 9,2 . 9,0	16,1 et 25,0	
37	175	830		8,2 . 8,7 . 10,8	12,8 et 25,2	
38	59	311	π ARIETIS	4,9 . 8,4 . 10,2	3,3 et 25,2	Herscheli I.
39	23	2094		7,3 . 7,6 . 11,0	1,6 et 25,3	
40	11	377		8,3 . 8,7 . 11,5	0,8 et 25,6	
41	38	2434	P.XVIII.274.	7,9 . 8,4 . 10,3	25,6 et 1,9	
42	150	922		7,2 . 11,0 . 10,5	10,2 et 26,2	
43	220	2549		7,7 . 7,7 . 8,9	21,2 et 27,0	
44	90	738	λ ORIONIS	4,0 . 6,0 . 12	4,2 et 27	Herscheli I. fortasse.
45	67	1109		8,8 . 8,8 . 11	3,4 et 27,1	
46	189	2922	8 LACERTAE	6,0 . 6,5 . 10,2	22,5 et 28,2	
47	173	297		8,0 . 8,3 . 10,6	15,6 et 28,4	
48	20	1687	35 COM. BER.	5,0 . 7,8 . 9,0	1,4 et 28,6	
49	64	883		8,2 . 8,7 . 10,4	3,3 et 28,7	
50	86	3037		7,0 . 8,5 . 8,9	2,7 et 28,9	
51	238	133	ANDROM. 219.	7,0.10,5.10,8.10,8	3,0 et 29,1 et 4,8	Quadruplex ex duabus duplicibus.
52	29	734		7,0 . 8,6 . 8,6	1,8 et 29,3	
53	227	499		9,2 . 9,3 . 11,2	10,6 et 30,3	Exiguae.
54	222	2670		8,3 . 8,7 . 10,7	30,6 et 16,5	
55	228	1945		8,8 . 9,5 . 9,5	30,7 et 8,8	Exiguae.
56	192	1659		8,0 . 8,1 . 11,0	27,1 et 30,9	
57	31	1051		6,5 . 8,6 . 6,7	1,2 et 31,2	

Etiam inter has stellas triplices systemata esse nonnulla demonstrari potest. Vidimus enim supra p. XCV inter 612 stellas duplices reliquas, inter fines distantiarum 12" et magnitudinis 10,2, ex probabilitate minime 483 esse physice conjunctas, seu proxime inter 5 esse 4. Idem vero valet de stellis triplicibus, in quibus tertia a medio inter binas loco non plus 12" distat, quales sunt stellae hujus census 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 10. Inter has 8 stellas triplices 6 systemata esse probabile videtur.

Juvat hoc loco etiam reliquas stellas componere, quae sensu latiore sunt triplices seu multiplices observatae.

STELLAE TRIPLICES, IN QUIBUS TERTIA PLUS 32" DISTAT.

	Pagina textus	Numerus catalogi	Nomen stellae	Magnitudines	Distantiae	Adnotationes
1	12	910	P. VI. 105.	8,3 . 8,8 . 6,5	0,7 et 66,2	Magna est P.VI. 104.
2	16	861		8,2 . 8,2 . 7,8	1,6 et 67,1	
3	33	1558		8,7 . 9,2 . 8,8	1,4 et 43,7	
4	35	2006		7,5 . 9,2 . 7,7	1,6 et 43,5	
5	43	312		7,1 . 8,0 . 9,2	3,6 et 42,3	
6	45	848		7,3 . 8,0 . 8,2 . 9,0	2,3 et 28,6 et 43,1	} Quadruplex. Jam supra inter triplices lucidas occurrit. Herscheli I.
7	53	2624		7,2 . 7,8 . 9,5	2,0 et 42,4	
8	57	117	ψ CASSIOPEIAE	4,4 . 8,9 . 9,5	32,2 et 3,0	
9	58	196		8,5 . 11,0 . 9,2	2,4 et 39,5	
10	68	1192		6,8 . 10,5 . 10,2	2,8 et 48,6	
11	73	1769		7,3 . 9,7 . 8,2	2,8 et 55,9	
12	74	1990		8,0 . 8,5 . 8,5	56,2 et 3,8	
13	81	2673.4		8,0 . 9,5 . 8,0.10,7	2,5 et 75,6 et 15,5	} Duae duplices 75" inter se distantes.
14	84	2900	33 PEGASI	6,0 . 9,2 . 7,9	2,5 et 56,6	
15	84	2916		7,3 . 8,8 . 10,2	45,3 et 3,5	
16	85	3012.3		8,7 . 8,8 . 7,8 . 9,3	2,6 et 52,0 et 2,6	} Duae duplices ordinis tertii 52" inter se distantes.
17	90	479	P. III. 213.	7,0 . 7,9 . 9,4	7,4 et 58,1	
18	95	1474		6,9 . 8,0 . 7,7	71,7 et 6,4	
19	99	2278		6,8 . 7,3 . 7,8	38,9 et 6,0	
20	99	2319		7,2 . 7,6 . 10,0	5,6 et 38,4	
21	101	2944	P. XXII. 219.	7,0 . 7,5 . 8,2	4,1 et 55,6	Herscheli I.
22	111	788		7,5 . 9,2 . 9,9	7,2 et 36,1	Herscheli I.
23	113	956		8,0 . 11,0 . 8,7	4,6 et 35,0	
24	113	965		8,3 . 10,3 . 8,7	5,5 et 47,0	
25	128	2427		8,5 . 9,0 . 9,2	44,2 et 6,9	
26	129	2472.3	P. XIX. 13.	7,5 . 9,2 . 9,0.9,2	17,2 et 75,1 et 6,2	} Duae duplices 75" inter se distantes.
27	129	2538		8,2 . 8,3 . 8,7	53,0 et 6,1	
28	131	2658		7,0 . 9,1 . 10,2	5,5 et 32,1	Herscheli I.
29	133	2776		7,7 . 9,0 . 10,0	84,9 et 5,9	Herscheli I.
30	139	1350		7,2 . 7,3 . 8,0	10,4 et 121,4	
31	147	509		7,7 . 11,2 . 8,7	11,7 et 38,1	
32	149	761	PR: σ ORIONIS	7,9 . 8,2 . 8,7	68,1 et 8,3	Herscheli I.
33	151	1087.8		7,0 . 9,0 . 8,2.11,5	11,1 et 112,3 et 19,9	} Duae duplices intra 2' distantes.
34	155	1604	VIRGINIS 59.	6,5 . 9,0 . 7,7	12,0 et 58,0	
35	160	2483		7,2 . 8,3 . 8,5	9,7 et 71,1	
36	161	2637	φ SAGITTAE	6,0 . 8,3 . 7,1	11,4 et 70,7	Herscheli I.
37	172	263.4		8,0 . 11,2.9,0.10,0	14,6 et 38,8 et 16,7	
38	177	1410		8,0 . 9,8 . 11	14,2 et 42,0	
39	180	2098		8,0 . 9,0 . 8,0	14,3 et 64,2	

	Pagina textus	Numerus catalogi	Nomen stellae	Magnitudines	Distantiae	Adnotationes
40	180	2338		8,5 . 9,7 . 8,0	13 ⁷ / ₄ et 77 ¹ / ₁	
41	181	2399		8,2 . 8,8 . 10,0	15,8 et 33,3	} Quintuplex ex duplici et triplici, quae jam supra est citata. } Triplex supra allata et quarta longius distans. Herscheli I.
42	185	484.5		6,1.6,2.9,0.9,5.9 ⁰ ,0	18,0.49,0,5,4.22 ⁶ / ₆	
43	189	2922		6,0 . 6,5 . 10,2 . 8,5	22,5 et 28,2 et 66,5	
44	194	2703		7,6 . 7,6 . 7,6	25,3 et 66,5	
45	197	47	ANDROM. 125.	6,7 . 8,6 . 10,5	16,5 et 41,3	
46	198	256		8,2 . 9,5 . 9,5	21,1 et 36,7	
47	200	430	TAURI 39.	6,0 . 9,0 . 9,8	26,6 et 39,4	
48	202	687		8,2 . 9,0 . 9,2	17,2 et 48,7	
49	204	866		7,7 . 8,8 . 8,2	17,8 et 78,8	
50	205	939		8,1 . 8,7 . 9,0	29,7 et 39,8	
51	206	1090		7,0 . 8,0 . 9,5	61,1 et 19,7	
52	208	1190	29 MONOCER.	6,0 . 11,7 . 8,5	31,6 et 67,1	Herscheli I.
53	213	1773		9,0 . 9,0 . 9,5	27,9 et 57,1	
54	217	2230		8,2 . 8,7 . 10,5	44,4 et 18,8	
55	222	2707		7,1 . 7,9 . 8,6	55,4 et 23,0	
56	225	2960	16 LACERTAE	6,0 . 12,0 . 9,0	63,5 et 27,6	Herscheli I.
57	228	1455		8,7 . 10,2 . 10,5	33,5 et 1,8	
58	239	3041		7,3 . 8,2 . 8,1	71,1 et 3,3	
59	App.	3124	BOOTIS	5,5 . 5,5 . 7,5	0,3 et 38,0	

Ex tribus his catalogis sequitur, stellas sensu aliquo latiore multiplices in hoc opere inveniri mensuris exploratas $11 + 57 + 56 = 124$, quarum 113 sunt triplices, 9 quadruplices et 2 quintuplices.

11.

DE MOTU PROPRIO STELLARUM COMPOSITARUM.

Argelander noster astronomiam nuperrime ditavit catalogo, qui 560 stellarum fixarum positiones medias pro anno 1850 exhibet, omnibus subsidiis instructo, quae ad locos apparentes ex mediis acutissime calculandos inserviunt. Summum in admirabili hoc opere adornando consilium fuit, motus proprios fixarum ea constituere fide, quam offert comparatio positionum ab ipso in specula Aboensi recens cognitarum cum illis, quas ex Bradley observationibus, 75 annis prius institutis, deduxit et in Fundamentis publici juris fecit Besselius. Cui consilio auctor ita respondit, ut probabile ipsi visum sit motus annuos datos erroribus laborare vix $0'',02$ arcus superantibus. (Vide Argelandrum p. VI.) Liber itaque Argelandri ansam praebet et officium injungit, ut de stellarum compositarum motibus propriis denuo tractetur, ex ipsisque de conjunctione inter stellas feratur iudicium. Si vero hoc in modico tantum stellarum numero ferri potest, in eo quaeras rationem, quod tum multarum stellarum motus proprii sunt tam exigui, ut astronomorum indagationi se hucusque subtraxerint, tum vero positiones desunt multarum stellarum duplicium, pro duabus epochis satis inter se longinquis constitutae.

Motus proprii in stella aliqua observati duplex potest esse origo. Aut enim parallacticus est ex motu systematis Solaris, aut stellae peculiaris. Si itaque in stellis duabus, intra certos limites sibi vicinis, idem est motus proprius parallacticus, eas stellas in eadem proxime a Sole distantia esse sequitur. Si idem est utrique stellae motus peculiaris, stellas communi causa moveri maxime probabile est. Sed cum difficile sit motus diversae originis separare, et cum plurimi motus ex utraque causa orti sunt supponendi, dubitare nequit, quin stellae vicinae apparentes, si communi motu proprio feruntur, sibi sint proximae et vinculo physico i. e. gravitatione junctae.

Jam est solvendum problema sequens: dato moto proprio annuo majoris stellae, et data relatione stellae comitis ad majorem pro duabus epochis, determinare motum proprium annum comitis. Sint relationes observatae pro duabus epochis hae:

pro epocha,	distantia,	angulus.
t	e	P
t'	e'	P'

Anguli P, P' sunt ii, quos circulus stellas jungens cum eo format declinationis circulo, qui per locum transit inter duas stellas intermedium (conferatur Appendix I.), cujus:

pro epocha t sit ascensio recta $= \alpha$ et declinatio $= \delta$;
 pro epocha t' sit ascensio recta $= \alpha'$ et declinatio $= \delta'$.

Hinc jam differentias in AR et Decl. pro duabus epochis nanciscimur formulis simplicissimis:

$$\text{pro } t, \quad a = e \cdot \sin P \cdot \sec \delta; \quad b = e \cos P;$$

$$\text{pro } t', \quad a' = e' \cdot \sin P' \cdot \sec \delta'; \quad b' = e' \cos P';$$

quae formulae tertias demum negligunt distantiarum potestates. Ut jam ex comparatione inter a et a' atque inter b et b' motus relativus proprius stellae minoris deduci queat, respicienda est differentia inter praecessiones utriusque stellae pro spatio temporis $t' - t$. Ponamus:

$$\alpha'' = \frac{a+a'}{2}; \quad \delta'' = \frac{\delta+\delta'}{2}; \quad a'' = \frac{a+a'}{2}; \quad b'' = \frac{b+b'}{2}.$$

Jam erunt pro $t' - t$ annis differentiae inter praecessiones utriusque stellae, p' et p in ascensione recta, atque q' et q in declinatione:

$$p' - p = (0,0000973 \cdot \cos \alpha'' \cdot \text{tang } \delta'' \cdot a'' + 0,0000973 \cdot \sin \alpha'' \cdot \sec^2 \delta'' \cdot b'') \cdot (t' - t);$$

$$q' - q = -0,0000973 \cdot \sin \alpha'' \cdot a'' \cdot (t' - t).$$

Hinc sequitur, si $0,0000973 = \pi$ nuncupamus, ubi $\log \pi = 5,9882$, motus relativus pro intervallo $t' - t$:

$$\Delta a'' = (a' - a) - \pi \cdot (t' - t) \cdot (\cos \alpha'' \cdot \text{tang } \delta'' \cdot a'' + \sin \alpha'' \cdot \sec^2 \delta'' \cdot b'');$$

$$\Delta b'' = (b' - b) + \pi \cdot (t' - t) \cdot \sin \alpha'' \cdot a''.$$

Unde deducitur motus medius relativus annuus inter epochas t et t' per:

$$d a'' = \frac{a' - a}{t' - t} - \pi \cdot (\cos \alpha'' \cdot \text{tang } \delta'' \cdot a'' + \sin \alpha'' \cdot \sec^2 \delta'' \cdot b'');$$

$$d b'' = \frac{b' - b}{t' - t} + \pi \cdot \sin \alpha'' \cdot a''.$$

Formulae hae supponunt a'' et b'' esse in minutis secundis arcus expressas. In stellis vero intra $32''$ vicinis secundum membrum a praecessione pendens negligi potest, cum $0,0000973 \cdot 32'' = 0'',0031$ quotannis in 60 annis $0'',19$ non superet, quantitatem, quam instrumentis meridianis, quibus positiones stellarum absolutae observantur, attingere hucusque non valemus. Habemus itaque pro stellis intra $32''$ vicinis:

$$d a'' = \frac{a' - a}{t' - t} \quad \text{et} \quad d b'' = \frac{b' - b}{t' - t}.$$

Catalogus Argelandri plerumque stellae solius primariae offert motus annuos proprios, qui sint $d\alpha$ et $d\delta$ minutis secundis arcus expressi. Erunt jam motus proprii annui comitis:

$$d'\alpha = d\alpha + d a''; \quad d'\delta = d\delta + d b''.$$

Si jam $d'\alpha$ et $d'\delta = 0$ proxime, tum comes locum absolutum in coelo non mutasse, et motus, qui majori est proprius, non particeps esse apparet. Sin vero $d'\alpha$ et $d'\delta$ proxime $= d\alpha$ et $d\delta$, i. e. si $d a''$ et $d b''$ proxime $= 0$, tum utrique stellarum communem assignamus motum proprium. At vero $d a''$ et $d b''$, etiamsi communis est utriusque stellae motus proprius, non prorsus evanescent, si motus est satis celer stellarum ex physica copulatione oriundus.

Primo loco jam stellas Argelandrianas enumerabo, quae inter duplices sunt catalogi nostri, et quidem ita ut motus proprios annuos addam secundum Argelandrum, tum in ascensione recta $= d\alpha$, tum in declinatione $= d\delta$, tum in spatio expressos $= d l = \sqrt{(d\alpha^2 \cdot \cos^2 \delta + d\delta^2)}$, atque stellas secundum motus in spatio quantitates disponam.

MOTUS PROPRII STELLARUM DUPLICIUM SECUNDUM ARGELANDRI CATALOGUM.

Numerus stellae in catalogo Argelan- dri	Numerus stellae in catalogo du- plicium	Nomen stellae	Motus annuus in $AR = d\alpha$	Motus annuus in Decl. = $d\delta$	Motus annuus in spatio = dl	Pagina mensura- rum mi- crometri- carum	Distantia	Magnitudines
481	2758	61 CYGNI pr.	+ 5 ^h 108	+ 3 ^m 232	5 ^s 166	169	16 ^o 0	5,3 . 5,9
19	60	η CASSIOPEIAE	+ 1,973	- 0,495	1,185	137	9,5	4,0 . 7,6
421	2272	70 ρ OPHIUCHI	+ 0,216	- 1,097	1,118	98	6,1	4,1 . 6,1
253	1540	83 LEONIS pr.	- 0,804	+ 0,161	0,818	191	29,6	6,3 . 7,3
416	2220	μ HERCULIS	- 0,395	- 0,715	0,796	217	29,9	3,8 . 9,5
248	1523	ξ URS. MAJ.	- 0,513	- 0,600	0,740	20	1,8	4,0 . 4,9
392	2084	ζ HERCULIS	- 0,467	+ 0,380	0,549	6	1,1	3,0 . 6,5
347	1930	5 SERPENTIS	+ 0,126	- 0,528	0,543	157	10,1	5,0 . 10,0
284	1670	γ VIRGINIS MED.	- 0,523	+ 0,015	0,523	4	0,4	3,0 . 3,0
293	1728	42 COMAE BER.	- 0,443	+ 0,155	0,448	4	0	6,0 . 6,0
383	2021	49 SERPENTIS	+ 0,182	- 0,390	0,428	50	3,2	6,7 . 6,9
451	2580	17 γ CYGNI	- 0,006	- 0,426	0,426	194	25,8	5,1 . 8,1
544	1909	44 BOOTIS seq.	- 0,621	+ 0,033	0,414	49	3,3	5,2 . 6,1
65	231	66 CETI seq.	+ 0,393	- 0,078	0,400	165	15,5	6,0 . 7,8
72	296	θ PERSEI	+ 0,524	- 0,118	0,367	172	15,4	4,2 . 10,0
245	1517	P. XI. 9.	- 0,357	- 0,140	0,361	20	1,1	7,3 . 7,3
527	2944	P. XXII. 219 seq.	- 0,209	- 0,291	0,358	101	4,1	7,0 . 7,5
256	1547	88 LEONIS	- 0,303	- 0,174	0,340	177	15,3	6,4 . 8,4
496	2822	μ CYGNI	+ 0,261	- 0,243	0,335	101	5,6	4,0 . 5,0
309	1777	84 VIRGINIS seq.	- 0,323	- 0,057	0,327	48	3,4	5,8 . 8,2
513	2900	33 PEGASI	+ 0,344	- 0,009	0,323	84	2,5	6,0 . 9,2
222	1424	γ LEONIS	+ 0,299	- 0,136	0,310	47	2,5	2,0 . 3,5
484	2777	δ EQUULEI	+ 0,084	- 0,297	0,308	223	27,4	4,1 . 10,2
385	2032	σ CORONAE	- 0,368	- 0,019	0,305	23	1,3	5,0 . 6,1
372	1985	ANONYMA	- 0,30	0,00	0,30	97	5,4	7,0 . 8,1
544	2998	94 AQUARI seq.	+ 0,279	- 0,116	0,294	170	13,4	5,2 . 7,2
418		ψ DRACONIS seq.	- 0,023	- 0,268	0,268			
417	2241	ψ DRACONIS pr.	- 0,048	- 0,260	0,260	193	30,9	4,0 . 5,2
289	1692	12 CAN. VEN. seq.	- 0,296	+ 0,054	0,235	187	19,9	3,2 . 5,7
352	1937	η CORONAE	+ 0,165	- 0,172	0,223	5	0,7	5,2 . 5,7
277	1636	17 VIRGINIS	- 0,200	- 0,081	0,214	212	19,3	6,2 . 9,0
73	299	γ CETI	- 0,128	- 0,167	0,210	43	2,6	3,0 . 6,8
31	100	ζ PISCUM pr.	+ 0,171	- 0,086	0,191	184	23,5	4,2 . 5,3
156	1110	CASTOR. MED.	- 0,210	- 0,076	0,194	92	4,7	2,7 . 3,7
91	422	P. III. 98.	+ 0,017	- 0,174	0,175	89	6,1	6,0 . 8,2
303	1744	ζ URS. MAJ. pr.	+ 0,279	- 0,034	0,161	167	14,4	2,1 . 4,2
403	3127	δ HERCULIS	- 0,095	- 0,128	0,154	195	25,0	3,0 . 8,1
290	1695	URS. MAJ. 417.	- 0,24	0,00	0,14	48	3,3	6,3 . 8,2
186	1306	σ^2 URS. MAJ.	- 0,099	- 0,119	0,125	94	4,6	5,0 . 8,2
360	1967	γ CORONAE	- 0,083	+ 0,090	0,117	5	0	4,0 . 7,0
436	2417	θ SERPENTIS pr.	+ 0,008	+ 0,110	0,110	188	21,6	4,0 . 4,2
5	22	38 PISCUM seq.	+ 0,029	+ 0,106	0,110	88	4,7	7,0 . 8,0
379	2010	κ HERCULIS	- 0,098	- 0,005	0,093	192	31,2	5,0 . 6,0
434	2383	5 LYRAE	+ 0,011	+ 0,085	0,085	52	2,6	4,9 . 5,2
433	2382	ϵ LYRAE	+ 0,006	+ 0,070	0,070	52	3,0	4,6 . 6,3
59	205	γ ANDROMEDAE	+ 0,033	- 0,054	0,063	138	10,3	3,0 . 5,0
391	2078	17 DRACONIS pr.	- 0,098	+ 0,020	0,061	51	3,7	5,0 . 6,0
402	2140	α HERCULIS	- 0,001	+ 0,061	0,061	97	4,6	3,0 . 6,1
491	2806	β CEPHEI	+ 0,018	- 0,051	0,051	170	13,6	3,0 . 8,0
154	1065	20 LYNCSIS seq.	0,00	- 0,048	0,048	166	15,0	6,6 . 6,8
249	1524	ν URS. MAJ.	+ 0,014	+ 0,046	0,047	118	7,1	3,7 . 10,1
407	2184	54 OPHIUCHI	- 0,020	- 0,032	0,037	217	21,4	6,3 . 11,2
454	2594	57 AQUILAE pr.	- 0,017	+ 0,017	0,023	232	35,6	5,2 . 6,2
121	668	β ORIONIS	+ 0,020	- 0,010	0,021	138	9,1	1,0 . 8,0

Schema hoc 53 stellas duplices exhibet, motibus propriis praeditas, quibus omnibus, exceptis nonnullis fortasse postremis, fiducia est habenda. Nostrum jam est examinare, qui sit nexus inter motus proprios cognitos et positiones relativas variis temporibus determinatas. Examine perfecto, edocti sumus in 39 stellis ex 53 motum proprium

positionem relativam nullo modo affecisse, motum itaque proprium utrique stellae esse communem; et has stellas systemata corporum coelestium offerre attractionis vi junctorum, seu physice duplices esse concludimus. Quarum hic jam sequitur census.

RECENSIO STELLARUM, QUAE EX MOTIBUS PROPRIIS PHYSICE DUPLICES
SUNT HABENDAE.

61 CYGNI = H. IV. 18.	66 CETI = H. IV. 25.	η CORONAE = H. I. 16.
η CASSIOPEIAE = H. III. 3.	θ PERSEI = H. III. 58.	17 VIRGINIS = H. IV. 50.
p OPHIUCHI = H. II. 4.	P. XI. 9.	γ CETI
83 LEONIS = H. IV. 13.	P. XXII. 219 = H. II. 57.	ζ PISCUM = H. IV. 8.
μ HERCULIS = H. IV. 41.	88 LEONIS = H. III. 51.	CASTOR = H. II. 1.
ξ URS. MAJ. = H. I. 2.	μ CYGNI = H. III. 15.	P. III. 98. = H. III. 45.
ζ HERCULIS = H. I. 36.	84 VIRGINIS = H. II. 44.	ζ URS. MAJ. = H. III. 2.
5 SERPENTIS = H. III. 106.	33 PEGASI	σ^a URS. MAJ. = H. III. 54.
γ VIRGINIS = H. III. 18.	γ LEONIS = H. I. 28.	γ CORONAE
42 COMAE BER.	σ CORONAE = H. I. 3.	θ SERPENTIS = H. IV. 6.
49 SERPENTIS = H. I. 82.	94 AQUARIJ = H. III. 34.	38 PISCUM = H. II. 50.
17 χ CYGNI = H. IV. 11.	ψ DRACONIS = H. IV. 7.	5 LYRAE = H. II. 6.
44 BOOTIS = H. I. 15.	12 CANUM = H. IV. 17.	ϵ LYRAE = H. II. 5.

Stellae 34 ex his 39 sunt duplices Herscheli I, cujus tamen in septem stellis mensurae sunt incompletae. Pro 27 itaque stellis positiones relativae adsunt 50 circiter annis inter se distantes. In reliquis 12 stellis res ex solis mensuris recentioribus est dijudicanda. De stellis vero 61 Cygni, η Cassiopeiae, p Ophiuchi, quarum motus proprii annui minutum secundum excedunt, et de ξ Ursae majoris, γ Virginis, γ Leonis, σ Coronae et η Coronae nil est, quod fusius exponam, cum de his stellis saepius jam hoc respectu tractatum sit. Reliquas vero stellas paulo accuratius singulas examinabo.

83 LEONIS (6,3 . 7,3). p. 191.

Relationes comparandae sunt hae:

1782,08	$e = 29''{,}08$	$P = 144^\circ 56'$	$a = + 16''{,}74$	$b = - 23''{,}79$
1832,71	29, 58	150 1	+ 14, 82	- 25, 62

In 50,63 annis

$d a'' = - 1, 92$ $d b'' = - 1, 83$

$d a'' = - 0, 038$; $d b'' = - 0, 036$

sec. Argelandrum $d \alpha = - 0, 804$; $d \delta = + 0, 161$

$d' \alpha = - 0, 842$; $d' \delta = + 0, 125$.

Stella itaque primaria et comes eodem proxime feruntur motu proprio.

μ HERCULIS (3,8 . 9,5). p. 217 et App. III.

Herscheli I. relatio, quae pro 1783 exhibet $e = 18''$ et $P = 240^\circ$, quamquam ex solis pendet taxationibus, sufficit tamen ut probemus, magnum stellae primariae motum quam proxime etiam esse minoris. Tutius vero videtur rem ex solis mensuris recentioribus decernere, Herscheli II. et Southi meisque, quae sunt:

1825,50	$e = 29''{,}297$	$P = 240^\circ 26'$	$a = - 28''{,}91$	$b = - 14''{,}31$
1831,60	29, 883	241 21	- 29, 66	- 14, 33
1836,51	30, 167	241 55	- 30, 12	- 14, 21.

Indubium est quamvis lentum et distantiae et anguli incrementum. Ex tutissimis mensuris annorum 1831 et 1836 evadit:

$d a'' = - 0''{,}094$; $d b'' = + 0''{,}025$

sec. Argelandrum $d \alpha = - 0, 395$; $d \delta = - 0, 715$

$d' \alpha = - 0, 489$; $d' \delta = - 0, 690$.

Motus est itaque proxime idem utriusque. Has stellas magnitudine valde diversas, cum major sit = 3,8, minor = 9,5, physice conjunctas esse certum est.

ζ HERCULIS (3,0.6,5). p. 6 et App. III.

Inde ex prima Herscheli observatione 54 anni elapsi sunt, in quibus motus proprius majorem 30'' in spatio propulit. Satelles vero majorem semper comitata est in distantia variabili viz 1'' excedente. Motum proprium utriusque pertinere certum est.

5 SERPENTIS (5,0.10,0). p. 157 et App. III.

Herscheli I. nullae sunt hujus stellae mensurae. Solae itaque recentiores sunt consulendae. Diarium nostrum praeter mensuras in textu relatas unam etiam ipso magno instrumento jam anno 1825 institutam offert, unde tres relationes prodeunt haec:

1825,43:	$e = 10'',18$;	$P = 44^{\circ}26'$
1831,69	10, 073	40 58
1836,42	10, 330	40 39.

In 11 annis distantiam prorsus non mutatam esse videmus. Anguli deminutio $= 3^{\circ}47'$, quam tamen partim imperfectioni prioris mensurae singuli diei adscribere poteris, pro loco stellae non plus quam 0'',66 agit. At motus proprius stellam primariam non minus 6'' propulit in spatio. Certum est itaque stellam majorem magnitudinis $= 5,0$ et comitem exiguam $= 10,0$ conjunctim cieri et attractione esse copulatas. At gravius etiam est ex hac stella argumentum, si major ipsa est vere ex vicinissime duplicibus, ut ex recentissimis mensuris anni 1836 viz dubitari potest. Sunt jam tres stellae, duae lucidae et una subtilissima, in systemate conjunctae.

42 COMAE BERENICES (6,0.6,0). p. 4 et App. III.

Mensurae meae spatium novem amplectuntur annorum, in quibus motus proprius non minus quam 4'' effecit. Stellae vero semper subtilissime conjunctae apparuerunt aequales, non nisi maximis amplificationibus separabiles. Motus proprius est itaque utriusque communis.

49 SERPENTIS (6,7.6,9). p. 50 et App. III.

Motus annuus hujus stellae, ex duabus fere aequalibus magnitudinum 6,7 et 6,9 compositae, est 0'',428 in spatio, qui in 53 annis inde a 1783 ad 1836 locum stellae non minus quam 21'',7 mutavit. Stellae vero semper intra 4'' conjunctae fuerunt; unde sequitur motum proprium esse utriusque stellae.

17 γ CYGNI (5,1.8,1). p. 194 et App. III.

Herschelius I. solam distantiam dedit. Sed recentiores mensurae sufficiunt, quae sunt:

1822,49:	$e = 25'',503$;	$P = 73^{\circ}42'$;	H. II. et Southius.	
1822,63	25, 90	74 6	Struve per instrumenta minora.	
Medium 1822,56:	$e = 25, 702$;	$P = 73 54$;	$a = + 29,56$;	$b = + 7,13$
1832,70	25, 750	73 22	+ 29,53	+ 7,37
1836,64	25, 800	72 52	+ 29,52	+ 7,60.
Extremis collatis eoadit in 14,08 annis			— 0,04	+ 0,47
			$da' = - 0,000$;	$db' = + 0,034$
			sec. Argelandrum $d\alpha = - 0,006$;	$d\delta = - 0,426$
			$d'\alpha = - 0,006$;	$d'\delta = - 0,392.$

Gravis motus in declinatione est itaque stellae primariae et comitis; utraque in AR proxime quiescit. Copulatas stellas esse pronunciamus.

44 BOOTIS (5,2.6,1). p. 49 et App. III.

Mensurae micrometricae spatium amplectuntur 53 annorum, in quibus stella haec per motum proprium 22'',8 in coelo progressa est. Motum utriusque stellae esse, manifestum est, cum semper apparuerint intra 3'',5 vicinae.

66 CETI (6,0.7,8). p. 165 et App. III.

Herscheli I. mensurae sunt incompletae. Sed mensurae recentiores ad conjunctionem stellarum physicam probandam sufficiunt. Sumtis enim mediis ex observationibus Herscheli II. et Southi meisque pro 1821 et 1822, iisque cum recentissimis mensuris collatis habemus:

1821,95:	$e = 16'',256$;	$P = 225^{\circ}55'$;	$a = - 11'',70$;	$b = - 10'',31$
1830,42	15,580	228 39	- 11, 72	- 10, 29 ex 2 diebus
1833,50	15,513	229 6	- 11, 74	- 10, 16 — 3 —
1836,74	15,415	229 50	- 11, 80	- 9, 94 — 2 —

Quas mensuras si ita tractamus, ut quantitibus a et b variis ea assignemus pondera, quae numerum dierum aequant, pro 1821,95 vero pondus 2, methodo quadratorum minimorum accipimus pro epocha (1830,97 + t):

$$a = -11'',740 - 0'',006 t; \quad b = -10'',173 + 0'',022 t.$$

Est itaque:

$$\begin{aligned} d a'' &= -0'',006; & d b'' &= +0'',022 \\ \text{sec. Argelandrum } d \alpha &= +0,393; & d \delta &= -0,078 \\ d' \alpha &= +0,387; & d' \delta &= -0,056. \end{aligned}$$

Unde sequitur stellae primariae et comitis esse motum communem.

δ PERSEI (4,2.10,0). p. 172.

Mensurae comparandae sunt hae:

$$\begin{array}{r} 1782,63: \quad e = 13'',52; \quad P = 290^\circ 0'; \quad a = -19'',10; \quad b = +4'',62; \\ 1832,20 \quad 15,400 \quad 294 \ 36 \quad -21,14 \quad +6,41 \end{array}$$

$$\begin{aligned} \text{In } 49,57 \text{ annis} & \quad -2,04 \quad = +1,79 \\ d a'' &= -0,041; & d b'' &= +0,036 \\ \text{sec. Argelandrum } d \alpha &= +0,524; & d \delta &= -0,118 \\ d' \alpha &= +0,483; & d' \delta &= -0,082. \end{aligned}$$

Motus majoris et comitis sunt itaque proxime iidem.

P. XI. 9. (7,3.7,3). p. 20 et App. III.

Sunt duae stellae aequales sibi proximae, cum vix $1'',1$ distent. Meae mensurae 9 jam amplectuntur annos, in quibus, quia nulla apparuit in situ relativo mutatio, motus proprius communis stellas $3'',25$ in arcu propulit.

P. XXII. 219. (7,0.7,5). p. 101 et App. III.

Nullum dubium relinquitur, quin hae stellae communi ciantur motu proprio. Scilicet in 54 annis inde ex 1782 ad 1836, in quibus motus proprius $19'',3$ effecit, anguli mutatio fuit prorsus nulla. Etiam distantiam proxime eandem mansisse ex eo elucet, quod ex Herscheli I. descriptione sequitur distantiam, quae nunc est $4''$, etiam tum temporis inter $4''$ et $8''$ fuisse, proprius ad $4''$. In postremis 14 annis, in quibus motus proprius $5'',0$ effecit, relativum situm non plus $0'',3$ esse mutatum certius est constitutum. Stellae hae duae, A et B, itaque gravitatione sunt conjunctae. Aliter vero res se habet in tertia stella C = 8,2, $56''$ distant, quam motus proprii non participem esse, non itaque ad idem systema pertinere, infra probabitur.

88 LEONIS (6,4.8,4). p. 177.

Mensurae micrometricae comparandae sunt hae:

$$\begin{array}{r} 1782,30: \quad e = 14'',63; \quad P = 317^\circ 33'; \quad a = -10'',25; \quad b = +10'',80; \\ 1829,02 \quad 15,305 \quad 319 \ 54 \quad -10,22 \quad +11,71 \end{array}$$

$$\begin{aligned} \text{In } 46,72 \text{ annis} & \quad +0,03 \quad +0,91 \\ d a'' &= +0,001; & d b'' &= +0,020 \\ \text{sec. Argelandrum } d \alpha &= -0,303; & d \delta &= -0,174 \\ d' \alpha &= -0,302; & d' \delta &= -0,154. \end{aligned}$$

Comitis et stellae primariae sunt motus prorsus iidem.

μ CYGNI (4,0.5,0). p. 101.

Relationes comparandae sunt hae:

$$\begin{array}{r} 1780,85: \quad e = 6'',927; \quad P = 109^\circ 16'; \quad a = +7'',39; \quad b = -2'',29; \\ 1831,63 \quad 5,557 \quad 114 \ 33 \quad +5,72 \quad -2,31 \end{array}$$

$$\begin{aligned} \text{In } 50,78 \text{ annis} & \quad -1,67 \quad -0,02 \\ d a'' &= -0,033; & d b'' &= -0,000 \\ \text{sec. Argelandrum } d \alpha &= +0,261; & d \delta &= -0,243 \\ d' \alpha &= +0,228; & d' \delta &= -0,243. \end{aligned}$$

Motus sunt proxime iidem.

84 VIRGINIS (5,8.8,2). p. 48.

In 47 annis, qui inter Herscheliam meamque jacent mensuram, nil fere in relatione harum stellarum mutatum est, dum stellae motu communi in coelo $16''$ progressae sunt.

33 PEGASI (6,0.9,2). p. 84 et App. III.

Stellae 2'',5 fere distant, in quarum relatione inde ex 1829 ad 1836 usque 7 annis nullum mutationis fuit vestigium, quamquam motus proprius majoris in eodem intervallo non minus quam 2'',3 effecit. Stellae itaque attractione conjunctae sunt; cujus vero systematis tertia stella, magnitudinis = 7,9, quae 57'' distat, non est pars, ut infra monstrabitur.

94 AQUARI (5,2.7,2). p. 177 et App. III.

Herscheli I. mensura est incompleta. Recentiores vero observationes sunt hae:

1821,91: $e = 14'',22$; $P = 346^{\circ}36'$. Struve per instrumenta minora
1822,87 15,00 346 40. Herscheli II. et Southius

Medium 1822,39:	$e = 14,61$;	$P = 346 38$;	$a = - 3'',49$;	$b = + 14'',21$
1830,90	13,367	345 9	- 3,54	+ 12,92
1836,67	13,823	344 42	- 3,76	+ 13,33

Extremis collatis in 14,28 annis	- 0,27	- 0,88
	$d a'' = - 0,019$;	$d b'' = - 0,062$
sec. Argelandrum	$d \alpha = + 0,279$;	$d \delta = - 0,116$
	$d' \alpha = + 0,260$;	$d' \delta = - 0,178$.

Proxime idem et communis est motus stellae primariae et comitis.

 ψ DRACONIS (4,0.5,2). p. 193.

Communis utriusque stellae motus proprius, imprimis in declinatione, inde ex Bradley temporibus copulationem stellarum physicam probat.

12 CANUM VENAT. (3,2.5,7). p. 187.

Extremae mensurae harum stellarum sunt hae:

1782,30:	$e = 20'',0$;	$P = 228^{\circ}13'$;	$a = - 19'',34$;	$b = - 13'',33$
1830,32	19,917	227 17	- 18,90	- 13,51

In 48,02 annis + 0,44 - 0,18

$d a'' = + 0,009$; $d b'' = - 0,004$

sec. Argelandrum $d \alpha = - 0,296$; $d \delta = + 0,054$

$d' \alpha = - 0,287$; $d' \delta = + 0,050$.

Stellae primariae et comitis est itaque motus proprius communis.

17 VIRGINIS (6,2.9,0). p. 212 et App. III.

Mensurae harum stellarum variis temporibus sunt institutae sequentes:

1782,10:	$e = 20'',15$;	$P = 328^{\circ}21'$;	$a = - 10'',64$;	$b = + 17'',15$
1823,20	20,94	339 22	- 7,42	+ 19,58
1825,32	19,56	337 0	- 7,69	+ 18,01
1831,23	19,195	336 36	- 7,67	+ 17,62
1836,37	19,633	335 14	- 8,27	+ 17,83.

In angulo Herscheli I. errorem inesse apertum est, cum inde ex anno 1823 ad 1836 continua observata sit anguli deminutio. Relatio anni 1782 est itaque rejicienda. Solis nostris observationibus, quas per magnum tubum institutimus, comparatis, ex 11,05 annis deducimus:

$d' a = - 0'',053$; $d' b = - 0'',016$

sec. Argelandrum $d \alpha = - 0,200$; $d \delta = - 0,081$

$d' \alpha = - 0,253$; $d' \delta = - 0,097$.

Stellae itaque communi et aequali feruntur motu.

 γ CETI (3,0.6,8). p. 43 et App. III.

Praeter mensuras quatuor in textu datas, alia prior etiam exstat per eundem tubum magnum jam anno 1825,81 instituta, casu omissa, et nova anni 1836 relatio in Appendice III. exhibita, seu pro:

1825,81:	$e = 2'',76$;	$P = 284^{\circ}36'$	ex 1 die
1832,48	2,590	287 22	ex 5 diebus
1836,74	2,675	289 0	ex 2 diebus.

Videmus in 11 annis, in quibus motus proprius majorem 2'',2 in arcu propulit, relationem inter stellas ne 0'',3 quidem esse mutatam. Motus est itaque communis.

ζ PISCUM (4,2.5,3). p. 184.

Comparatio mensurarum dat:

1781,88 :	$e = 22'',187$;	$P = 67^{\circ}25'$;	$a = + 20'',61$;	$b = + 8'',53$
1832,83	23, 456	63 43	+ 21, 17	+ 10, 39
<hr/>				
In 50,95 annis			+ 0, 56	+ 1, 86
			$d'a = + 0, 011$;	$d'b = + 0, 036$
sec. Argelandrum				
			$d\alpha = + 0, 171$;	$d\delta = - 0, 086$
<hr/>				
			$d'a = + 0, 182$;	$d'\delta = - 0, 050$.

Videmus utrique stellarum motum esse proxime eundem.

P. III. 98. (6,0.8,2). p. 89.

Angulus Herscheli I. cum meo est proxime idem. Distantiam ille non dedit, stellas vero classi III adnumerat, unde apparet intervallum inter 4'' et 8'' fuisse. Mea distantia est 6'',1. Videmus itaque in 51 annis nullas variationes fuisse, quarum summa 2'' arcus excesserit. Motus vero proprius stellam primariam 8'',9 transportavit, qui itaque etiam comiti est tribuendus.

ζ URS. MAJ. (2,1.4,2). p. 167.

In plus 50 annis nulla prorsus apparuit in situ relativo harum stellarum mutatio, unde apparet motum annum + 0'',279 in AR et - 0'',034 in Decl. utrique stellarum esse tribuendum. Sunt enim relationes comparandae hae:

1780 :	$e = 14'',50$;	$P = 146^{\circ}46'$
1830,63	14, 368	147 36.

σ³ URS. MAJ. (5,0.8,2). p. 94 et App. III.

Mensurae comparandae sunt hae:

1782,42 :	$e = 7'',93$;	$P = 283^{\circ}0'$;	$a = - 20'',15$;	$b = + 1'',74$
1832,14	4, 585	263 33	- 11, 52	- 0, 52
<hr/>				
In 49,72 annis			+ 8, 63	- 2, 26
			$d'a = + 0, 174$;	$d'b = - 0, 046$
sec. Argelandrum				
			$d\alpha = - 0, 099$;	$d\delta = - 0, 119$
<hr/>				
			$d'a = + 0, 075$;	$d'\delta = - 0, 165$.

Videmus motum in declinatione stellae et comitis esse ejusdem sensus, at pro comite aliquanto etiam majorem. Motus vero annui in AR. signi oppositi sunt. Si vero stellae declinationem = 67°50' respicimus, differentia est valde exigua, cum

$$d a \cdot \cos \delta = - 0'',037$$

$$d' a \cdot \cos \delta = + 0, 028.$$

Nulli itaque dubitamus accipere stellas communi motu cieri, discrimenque motui in orbita esse attribuendum.

γ CORONAE (4,0.7,0). p. 5. et App. III.

Meae observationes 10 annos amplectuntur, quae offerunt:

1826,75 :	$e = 0'',725$;	$P = 111^{\circ}3'$;	$a = + 0'',76$;	$b = - 0'',26$
1836,51	0, 00		0, 00	0, 00
<hr/>				
In 9,76 annis			- 0, 76	+ 0, 26
			$d'a = - 0, 078$;	$d'b = + 0, 027$
sec. Argelandrum				
			$d\alpha = - 0, 083$;	$d\delta = + 0, 090$
<hr/>				
			$d'a = - 0, 161$;	$d'\delta = + 0, 117$.

Videmus situs relativi mutationem nullo modo ex motu proprio explicari posse. Ultramque itaque stellam communi ferri motu proprio est accipiendum, differentiamque relationis ex motu circa centrum gravitatis oriri.

θ SERPENTIS (4,0.4,2). p. 188.

Herscheli I. mensurae sunt incompletae, angulo deficiente. Recentiores vero mensurae hae monstrant nullam in relatione stellarum esse mutationem:

CVIII

1822,42 :	$e = 21,634$;	$P = 104^{\circ}13'$
1825,78	21,685	103 49
1830,15	21,523	103 54
1832,79	21,747	103 50.

Motus, quamquam exiguus = 0'',110 quotannis, utriusque stellarum absque dubio est communis.

38 PISCIIUM (7,0.8,0). p. 88 et App. III.

Motus annuus majoris = 0'',110 quotannis in 50 annis 5'',5 effecit. Cujus effectus nullum est vestigium in relationibus Herscheli I. meaque. Persuasum est motum proprium utriusque esse stellae.

5 LYRAE (4,9.5,2). p. 52.

Inter primam Herscheli I. mensuram anni 1779 meamque anni 1832 spatium jacet 53 annorum, in quibus motus proprius majoris est 4'',5. Anguli fuit in hoc intervallo mutatio 20°, quae vero in loco relativo vix 1'' arcus superat, unde apparet utramque stellam moveri.

ε LYRAE (4,6.6,3). p. 52.

Magis valet, quod in stella praecedenti 5 Lyrae dixi, etiam de hac stella, cum motus angularis in 53 annis etiam minor apparuerit.

Ut jam in 39 stellis hucusque tractatis copulationem physicam ex motu proprio aut certo modo aut vix dubie probatam accepimus, ita in quatuor stellis γ ANDROMDAE, 17 DRACONIS, α HERCULIS et β CEPHEI, ob motus parvitatem, conjunctio haec probabilis tantum potest haberi; in postremis vero quinque stellis, 20 LYNCEIS, ν URS. MAJ., 54 OPHIUCHI, 57 AQUILAE, β ORIONIS, motus proprius tam exiguus videtur, ut ex ipso cum probabilitate aliqua judicare non liceat. In stellis vero, ANONYMA = Arg. 544 et URSAE MAJ. 417. = Arg. 290, ut ex notis Argelandri elucet, motus proprius fide caret. Restant jam solae duae stellae δ EQUULEI et δ HERCULIS, quarum motus proprios et relativos accuratius comparemus opus est, ut rem recte constituamus.

δ EQUULEI (4,1.10,2) p. 223 et App. III.

Sequentes sunt relationes inter has stellas variis temporibus constitutae :

1781,80 :	$e = 19'',533$;	$P = 78^{\circ}21'$;	$a = + 19'',57$;	$b = + 3'',94$.	<i>Herschelius I.</i>
1825,26	26, 240	41 57	+ 17, 77	+ 19, 52.	<i>Southius</i>
1829,17	26, 760	41 23	+ 17, 92	+ 20, 08.	<i>Struve ex 3 dieb.</i>
1832,83	27, 647	38 20	+ 17, 37	+ 21, 69	» 3 »
1834,90	27, 565	37 50	+ 17, 13	+ 21, 77	» 2 »
1835,64	27, 627	37 49	+ 17, 16	+ 21, 85	» 4 »
1836,65	28, 067	37 23	+ 17, 27	+ 22, 30	» 3 »

Quantitatum a et b praecisionem ita taxamus, ut in meis mensuris pondus aequet numerum dierum, Southianae mensurae pondus 1, Herscheliana pondus ½ assignemus. Quibus ponderibus respectis, relationem comitis ad majorem per methodum quadratorum accipimus ex complexu observationem talem :

$$\text{pro } 1831,79 + t: \quad a = + 17'',456 - 0'',0427 t; \quad b = + 20'',886 + 0'',3290 t.$$

<i>Ex formulis prodeunt :</i>		<i>Differentiae ab observatis :</i>	
$a = + 19'',59$	$b = + 4'',44$	+ 0'',22	+ 0'',50
+ 17, 74	+ 18, 74	- 0, 03	- 0, 78
+ 17, 57	+ 20, 02	- 0, 35	- 0, 06
+ 17, 40	+ 21, 23	+ 0, 03	- 0, 46
+ 17, 32	+ 21, 90	+ 0, 19	+ 0, 13
+ 17, 29	+ 22, 15	+ 0, 13	+ 0, 30
+ 17, 25	+ 22, 48	- 0, 02	+ 0, 18

Est itaque $d a' = - 0'',0427$; $d b' = + 0'',3290$
sec. Argelandrum $d \alpha = + 0, 0840$; $d \delta = - 0, 2970$

$$d' \alpha = + 0, 0413 ; \quad d' \delta = + 0, 0320.$$

Motus hic comitis est tam exiguus ut eum ex erroribus positionum et absolutarum et relativarum ortum esse supponere fas sit. δ Equulei itaque certum exemplum offert stellarum duarum intra 32'' vicinarum non attractione copularum.

δ HERCULIS (3,0 . 8,1). p. 195 et App. III.

Si mensuras annorum 1820 et 1821, *Herscheli II. et Southi* meamque, in unam conjungimus relationem pro 1821,61, respecto motu angulari exiguo, qualem observationes annorum 1820 et 1829 collatae offerunt, has nanciscimur relationes spatium 55 annorum amplectentes:

1781,81:	$e = 34''{,}32$;	$P = 162^{\circ}28'$;	$a = + 11''{,}38$;	$b = - 32''{,}63$.	<i>Herschelius I.</i>
1821,61	28, 355	172 36	+ 4, 03	- 28, 12.	<i>H. II. et South. et Str.</i>
1825,50	26, 69	173 33	+ 3, 31	- 26, 52.	<i>Southius</i>
1829,77	26, 11	173 42	+ 3, 16	- 25, 95.	<i>Struve ex uno die</i>
1831,67	25, 630	174 8	+ 2, 89	- 25, 50.	» 3 dieb.
1832,78	25, 375	174 1	+ 2, 92	- 25, 24.	» 2 »
1835,62	24, 978	174 17	+ 2, 75	- 24, 85.	» 5 »
1836,58	24, 883	174 47	+ 2, 49	- 24, 78.	» 3 »

Si jam quantitibus a et b ea assignamus pondera, ut sit pro prima epocha $= \frac{1}{2}$, pro secunda $= 2$, in tertia $= 1$, in reliquis aequet numerum dierum: tum secundum methodum quadratorum minorum in sequentem ducimur formulam pro epocha media:

$$1830,74 + t: a = + 3''{,}197 - 0''{,}1472 t; b = - 25''{,}748 + 0''{,}1586 t.$$

Quae formula ita cum observationibus convenit:

ex formula:		differentia ab observatis:	
$a = + 10''{,}40$;	$b = - 35''{,}51$	$- 0''{,}98$	$- 0''{,}88$
+ 4,54	- 27,20	+ 0,51	+ 0,92
+ 3,97	- 26,58	+ 0,66	- 0,06
+ 3,34	- 25,90	+ 0,18	+ 0,05
+ 3,06	- 25,60	+ 0,17	- 0,10
+ 2,90	- 25,42	- 0,02	- 0,18
+ 2,48	- 24,97	- 0,27	- 0,12
+ 2,34	- 24,82	- 0,15	- 0,04

Differentiae prorsus sunt satisfaciennes, et praestantiam recentissimarum observationum manifestant. Est jam itaque:

$$\begin{aligned} d''a &= - 0''{,}1472; & d''b &= + 0''{,}1586 \\ \text{sec. Argelandrum} \quad d\alpha &= - 0,0945; & d\delta &= - 0,1280 \\ \text{atque } d'\alpha &= - 0,2417; & d'\delta &= + 0,0306. \end{aligned}$$

Videmus ex $d'\alpha$ et $d'\delta$ comitem nullo modo in coelo quiescere, sed celerius etiam locum mutasse ipsa stella primaria, cum hujus sit motus annuus in spatio $= 0''{,}154$, illius vero $= 0''{,}220$. Differunt vero motus hi in directione. Accipiendum est itaque aut stellas duas nullo modo junctas seorsim moveri, aut ipsas inter se junctas eodem motu quidem cieri, ita tamen ut motui in orbita sit adscribenda relationis mutatio. Posterius multo probabilius est, tum quia motus proprius annuus $= 0''{,}220$ in stella octavae magnitudinis non veri similis est, tum quia ex iis, quae in priori capite exposui, de conjunctione physica inter stellas duas $24''$ distantes, quarum altera est tertiae, altera octavae magnitudinis, vix dubitari potest.

Summa hujus disquisitionis est haec:

inter 41 stellas duplices inter $0''$ et $32''$ distantes, in quibus primariae est motus proprius satis magnus et certus, sunt 40 tales, ut comes sit ejusdem motus particeps, quas itaque systemata formare stellarum attractione junctarum accipiendum est. Una stella δ Equulei, ex valde inaequalibus $A = 4,1$ et $B = 10,2$ composita, exemplum est certum stellae mere optice duplilis.

Conabor jam disquisitionem de motibus stellarum compositarum propriis in eas stellas duplices proferre, quarum distantia terminum $32''$ excedit. Amplificationi huic anam praebent mensurae micrometricae Appendicum I et II, in quibus 32 inveniuntur stellas, quarum motus proprii in catalogo Argelandri sunt constituti, plerumque alterius, interdum utriusque binarum. Rejiciamus ex hoc numero tum eas stellas, in quibus

motus proprius est valde exiguus, δ Cephei, δ Aquilae et β Lyrae, cum in spatio $0^{\circ},05$ quotannis non attingat, tum duo paria 56 Andromenae et P. I. 203 atque 48 Cygni et P. XX. 243, quia alteri stellarum motus est incertior. Restant 27 stellae examinandae, quarum hic sequitur census, secundum motus in spatio quantitatem ordinatus.

STELLAE DUPLICES A $32''$ AD $7'$ DISTANTES, QUARUM MOTUS PROPRII IN ARGELANDRI CATALOGO INVENIUNTUR.

Numerus stellae in catalogo Argelan- dri	Nomen stellae	Motus annuus			Distantia	Magnitudines
		in AR	in Decl.	in spatio		
103	40 ERIDANI	- 2,192	- 3,452	4,08	1,4	4,0 . 9,1
424	η SERPENTIS	- 0,593	- 0,654	0,88	1,9	3,3 . 12,0
122	λ AURIGAE.	+ 0,678	- 0,667	0,85	1,7	5,2 . 8,7
452	α AQUILAE	+ 0,560	+ 0,389	0,68	2,5	1,5 . 10,2
160	POLLUX	- 0,711	- 0,058	0,63	3,4	2,0 . 11,0
541	ψ' AQUARI	+ 0,393	- 0,015	0,39	0,8	4,0 . 9,0
431	α LYRAE	+ 0,287	+ 0,295	0,37	0,7	1,0 . 10,5
527	P. XXII. 219.	- 0,209	- 0,291	0,36	0,9	(7,0 . 7,5) . 8,2
513	35 PEGASI	+ 0,344	- 0,009	0,32	1,0	(6,0 . 9,2) . 7,9
32	37 CETI	+ 0,059	+ 0,286	0,29	0,8	5,1 . 7,0
215	REGULUS	- 0,266	+ 0,015	0,26	3,0	1,5 . 8,4
219	35 LEONIS	- 0,267	+ 0,007	0,24	5,2	6,0 . 3,8
449	16 CYGNI	- 0,270	- 0,150	0,23	0,6	5,1 . 5,3
560	α ANDROMEDAE	+ 0,160	- 0,145	0,20	1,1	2,0 . 11,2
156	CASTOR	- 0,210	- 0,076	0,19	1,2	(2,7 . 3,7) . 9,5
108	α TAURI	+ 0,080	- 0,168	0,19	1,8	1,0 . 11,2
410	ν' DRACONIS	+ 0,299	+ 0,053	0,18	1,0	4,6 . 4,6
411	ν'' DRACONIS	+ 0,263	+ 0,033	0,15		
488	1 PEGASI	+ 0,160	+ 0,089	0,18	0,6	4,5 . 8,6
445	6 VULPECULAE	- 0,165	- 0,085	0,17	6,6	4,4 . 5,7
324	ι BOOTIS	- 0,242	+ 0,081	0,17	0,6	(5,5 . 5,5) . 7,5
263	93 LEONIS	- 0,176	+ 0,004	0,16	1,2	4,7 . 8,4
353	μ BOOTIS	- 0,165	+ 0,098	0,16	1,8	4,0 . (6,7 . 7,3)
107	θ^2 TAURI	+ 0,114	- 0,068	0,13	5,6	4,7 . 5,0
106	θ^1 TAURI	+ 0,080	- 0,023	0,08		
433	ϵ LYRAE	+ 0,006	+ 0,070	0,07	3,5	(4,6.6,3).(4,9.5,2)
434	δ LYRAE	+ 0,011	+ 0,085	0,09		
399	33 OPHIUCHI	- 0,077	+ 0,007	0,08	4,9	5,8 . 6,3
391	17 DRACONIS	- 0,098	+ 0,020	0,06	1,5	(5,0 . 6,0) . 5,0
390	16 DRACONIS	- 0,030	+ 0,039	0,04		
464	α^2 CAPRICORNI	+ 0,059	+ 0,010	0,06	6,2	3,2 . 4,2
463	α^1 CAPRICORNI	+ 0,009	+ 0,016	0,02		

Expectari debuit, aucta inter stellas distantia, numerum stellarum optice duplicium increscere, physice conjunctarum deminui. Experientia luculenter probavit expectationem. Inter 41 stellas enim, intra $32''$ distantes, singulam tantum supra optice duplicem agnovimus. Jam vero inter 27 paria stellarum longius distantium inveniimus physice conjuncta 14, optice composita 9, dubiae originis 4. Has classes singulatim perscrutemur, additis iis, quae ad sententiae prolatae demonstrationem faciunt.

1) Stellarum plus $32''$ distantium indubie seu maxime probabiliter physice conjunctarum sunt paria 13: 40 Eridani, ψ' Aquarii, 37 Ceti, Regulus, 16 Cygni, Castor, ν' ν'' Draconis, 1 Pegasi, ι Bootis, 93 Leonis, μ Bootis, θ^2 Tauri, ϵ et 5 Lyrae, quibus fortasse accedit par 14^{num} in α Tauri.

40 d ERIDANI (4.0 . 9.1). Distantia = 1' 23".

40 Eridani est stella magno motu proprio, qui quotannis est 4",08 in spatio, maxime insignis. Una enim 61 Cygni majorem offert annum motum = 5",17, cum μ Cassiopeiae motus in spatium reductus 3",75 sit. Solae jam nostrae mensurae inter stellam primariam et comitem exiguam institutae, ex relationibus pro initiis annorum 1825 et 1836 acceptis conjunctionem physicam inter has stellas evidenter manifestant. In 11 annorum decursu relativa stellarum positio vix 1" mutata est, quamquam motus proprius majoris 45" effecit. Sed licet hanc copulationem longius persequi, cum exstet mensura Herscheli I. inter has stellas jam 1783 ante hos 53 annos facta, quam inventes in catalogo ipsius duplicium sub stella II. 80 relatum. Praeterea Dorpati annis 1821 ad 1824 differentia ascensionis rectae quinque observata est, singulasque mensuras Besseli suamque citavit Argelander in notis catalogi. Omnes observationes jam hic componam:

Epocha	Distantia	Angulus	Differentia		
			ascensionis	declinationis	
1783,08	$e = 81'' . 78$; $P = 107^{\circ} 53'$		$a = + 78'' . 60$	$b = - 25'' . 12$	Herscheli I.
1822,84			+ 81, 72		Struve ex 5 culmin.
1825,05			+ 78, 15	- 24, 2.	Besseli
1825,05	85, 325	107 28,9	+ 82, 17	- 25, 63.	Struve per tub. Fr. 2 dies
1830,13			+ 81, 75		Argelander
1836,04	83, 482	107 16,3	+ 80, 48	- 24, 79.	Struve per tub. Fr. 4 dies.

In 53 annis, per quos situs relativi constantia obtinuit talis, ut differentiae exiguae errores mensurarum vix excederent, motus proprius communis non minus quam 3' 36" effecit.

Maxime sane notabile est, stellas eas duas, quae maximos offerunt motus proprios hucusque cognitos, 61 Cygni et 40 Eridani esse stellas duplices, ita ut exempla praebeant indubia corporum coelestium gravitationis vi junctorum. In 61 Cygni, cujus stellae 16" distant, motus apparuit in orbita satis perspicuus, cum et distantia et angulus mutetur. In 40 Eridani, cujus stellae in longe majori distantia apparenti 80" versantur, motus relativi est nullum hucusque indicium, nisi quod ex mensuris nostris certioribus inter 1825 et 1836 distantiam tantillo decrevisse probabile sit. De Herscheli I. distantiae praecisione dubitare licet, cum probabile sit multas ex distantis majoribus ab ipso exhibitis minores esse veris. Non itaque deminutioni pugnat, distantiam anni 1783. minorem esse quam anni 1825. Admiratio, quam hae stellae excitant, etiam augetur, si animadvertimus ipsam comitem Herschelii anno 1783 duplicem per se fuisse, cujus est ipsa II. 80 et quam ita describit:

II. 80 d. (Fl. 40^{ae}) Eridani adjecta. 1783. Jan. 31. Duplex. Circiter 1',5 ad Austrum sequens d Eridani. Maxime inaequales. Utraque obscure rubra. Amplificatione = 227 comes vix conspicitur, per 460 est obscurissima. Positio est 36° 42' ad Boream praecedens. Distantia stellae majoris a d Eridani est 1' 21",78, directio ipsius 17° 53' ad Austrum sequens d Eridani. (Double. About 1½ min. s. following d Eridani. Very unequal. Both dr. Wüh 227, hardly visible; wüh 460, very obscure. Position of L. 17° 53' s. following d Eridani.)"

Nunc temporis i. e. anno 1836 stella B, si per A ipsam d Eridani designo, est certe simplex. Quaeritur itaque ubinam sit stella tertia C, quam vidit Herscheli sine dubio. Primum, quod animo offertur, est stellam B anno 1783 fortuito optice compositam fuisse, et stellam C in eo proxime coeli loco quaerendam esse, quem habuit B anno 1783. Locus hic a loco d Eridani pro 1836 ita, calculo perfecto, distat, ut sit 13" temporis in AR sequens et 2' 38" borealior, seu in distantia 4' 9" sub angulo 50°,3. Hunc vero locum ipso anno 1836 saepius examinavi, at nullam per tubum magnum inveni stellulam. Proxima enim praeter B ad d Eridani est stella subtilissima, quam 1835,97 observavi 16",79 seriore sub angulo 96° 48', seu in distantia 4' 11",2. Haec distantiae est cum calculata eadem, at angulus non minus quam 46°,5 a calculato differt. Cum itaque C non in eo invenitur loco, in quo anno 1783 est conspecta, proximum videtur supponere, ipsam motus participem fuisse et ad idem pertinere systema cum A et B. Anno 1825,12 observavi stellulam minutissimam, quam magnitudinis 13^{mae} vocavi, prope B. Credidi tum temporis hanc esse comitem Herschelianam. Quo accepto motus ipsius angularis respectu B fuisset celerrimus. Nam inter B et C Herschelii erat angulus = 326° 42' anno 1783, mihi vero 1825 angulus 287°, qui ab illo 40° abest. Postea vero, quamquam saepius regionem stellae B summa examinavi cura, comitem talem prope B non amplius consexi. Incertum est, utrum stella C per luminis variationem evanuerit in eo loco, in quo Herscheli eam vidit, an comitetur B. Commendamus itaque illis astronomis, quibus potentia sunt telescopia et talis latitudo, ut d Eridani altius per meridianum transeat quam Dorpati, ut hujus stellae regionem omni cura examinent.

Jam Argelander in nota catalogi conjunctionem inter d Eridani et comitem sibi probabilem esse pronuntiavit. Si nosset Herscheli mensuram, seu si nostras culminationes in Observationibus Dorpatensibus quaesivisset, nullum ipsi relictum fuisset dubium.

γ' AQUARI (4,0.9,0) Distantia = 50".

Motus proprius annuus est + 0",393 in AR. et - 0,015" in Decl. Herscheli I. mensura hujus stellae est incompleta, deficiente angulo. Recentiores sunt itaque consulendae mensurae hae:

1821,50: $e = 50",93$; $P = 312",48'$. Struve per instrumenta minora
 1824,80 49,835 311 8. Southius

Medium 1823,15: $e = 50,382$; $P = 311 58$; $a = - 38",05$; $b = + 33",68$
 1836,66 49,629 312 12,2 - 37,33 + 33,34

In 13,51 annis + 0,72 - 0,34

$da'' = + 0,054$; $db'' = - 0,025$

sec. Argelandrum $d\alpha = + 0,393$; $d\delta = - 0,015$

$d'\alpha = + 0,447$; $d'\delta = - 0,040$.

Motus est itaque utrique communis.

37 CETI (5,1.7,0). Distantia = 50".

Motus proprius annuus est + 0",059 in AR, et + 0",286 in Decl. Mensurae harum stellarum sunt sequentes:

1783,65: $e = 45",15$; $P = 332",16'$. Herschelius I.

1822,06 49,92 532 36. Struve per instr. min.

1823,79 50,78 332 27. H. II. et Southius

1835,99 50,118 331 24,8. Struve

Calculo prolixo hic non opus est. Extremar mensurae 52,34 annis inter se distant, in quibus motus proprius 15" excessit, dum in relatione nil prorsus mutatum est. Differentiam distantiae anni 1783 mensurae imperfectioni adscribere fas est. Stellae itaque communi feruntur motu.

REGULUS (1,5.8,4). Distantia = 3' 17".

Motus proprius stellae magnae est - 0",266 in AR et + 0",015 in Decl. Duae sunt mihi relationes in textu datae, maxima fide dignae, quibus accedunt mensurae Herscheli I. et H. II. et Southi. Habemus itaque:

1781,84: $e = 168",33$; $P = 305",5'$; $a = - 141",28$; $b = + 96",75$

1821,21 174,906 307 16 - 142,87 + 105,91

1821,92 - 144,82 + 104,71

1836,24 176,900 306 37,6 - 145,51 + 105,51

Si jam acceptis a et b pretia assignamus 1, 2, 5 et 10, secundum methodum quadratorum minimorum prodit:

pro 1827,51: $a = - 144",790 - 0",0735 t$; $b = + 104",790 + 0",1356 t$;

quae formulae dant ex calculo

$a = - 141",44$; $b = + 98",59$

- 144,33 + 103,94

- 144,35 + 104,03

- 145,43 + 105,97

differentiae ab observatis

- 0",16 + 1",84

- 1,46 - 1,97

+ 0,47 - 0,68

+ 0,08 + 0,46.

Accipimus itaque motum relativum annuum:

= - 0",0735; + 0",1356

Correctio ex praecessione - 0,0082; - 0,0071

$da'' = - 0,0817$; $db'' = + 0,1285$

sec. Argelandrum $d\alpha = - 0,266$; $d\delta = + 0,015$

$d'\alpha = - 0,348$; $d'\delta = + 0,143$.

Motus itaque comitis sunt aliquanto etiam majores quam stellae primariae. Nulli propterea dubitamus conjunctionem inter stellas accipere physicam, cum differentia inter motus proprios et imperfectioni mensurarum et motui in orbita possit adscribi.

16 CYGNI (5,1.5,3). Distantia = 37".

Motus proprius annuus est - 0",270 in AR et - 0",450 in Decl. Herscheli I. nullae sunt hujus duplicis mensurae. At Besseli Fundamenta exhibent stellae relationem pro 1755, quam cum recentissimis ita comparamus:

1755 $a = + 34",4$; $b = - 26",6$. Bradleyus

1822,0 + 41,22 - 26,79. Struve per instr. min.

1823,57 + 41,20 - 26,62. H. II. et Southius

1832,59 + 40,25 - 26,96. Struve.

De conjunctione nullum dubium est, si cogitamus in 77 annis motum majoris fuisse 20",7 in AR et 11",6 in Decl.

CASTOR ((2,7.3,7).9,5). Distantia = 72".

Motus annuus stellarum proximarum A et B communis est — 0",210 in AR et — 0",076 in Decl. . Comparatio primi nostri anguli anno 1829 observati cum postremo anni 1836 probat tertiam stellam exiguam C ejusdem motus esse participem. Si enim stella C immobilis fuisset: anni 1836 angulus 56' minor debuisset esse priori; at aliquanto majorem inveni. Luculentius vero hoc manifestatur si medias relationes inter $\frac{A+B}{2}$ et C in textu pro epochis 1822 et 1835 datas comparamus:

1822,66:	$a = + 30'',21$;	$b = - 69'',10$	
1835,24	+ 28, 50	- 68, 59	
<hr/>			
In 12,58 annis	- 1, 71	+ 0, 51	
Mutatio annua	- 0, 135	+ 0, 041	
Corr. ob praecess.	+ 0, 009	+ 0, 003	
<hr/>			
	$d a'' = - 0, 126$;	$d b'' = + 0, 044$	
sec. Argelandrum	$d \alpha = - 0, 210$;	$d \delta = - 0, 076$	
<hr/>			
	$d' \alpha = - 0, 336$;	$d' \delta = - 0, 032$.	

Motus itaque stellae C non = 0, sed major etiam est quam motus stellarum A et B. Nulli haesitamus copulationem physicam inter tres stellas A, B et C pronuntiare.

γ DRACONIS (4,6.4,6). Distantia = 62".

Utrique stellae eundem esse motum proprium in Argelandri catalogo inventes, qui pro singulis stellis dedit:

$$d \alpha = + 0'',299; \quad d \delta = + 0'',053$$

$$d' \alpha = + 0, 253; \quad d' \delta = + 0, 035.$$

Nullam fuisse in recentissimis temporibus inde ab anno 1821 ad 1833 in situ mutationem et nostrae arguunt mensurae in textu exhibitae.

ι PEGASI (4,5.8,6). Distantia = 36".

Motus majoris proprius annuus est + 0",160 in AR, + 0",089 in Decl. . Relationes comparandae sunt:

1780,69:	$e = 40'',75$;	$P = 308^{\circ}19'$;	$a = - 33'',80$;	$b = + 25'',28$ <i>Herschelius I.</i>
1835,86	36, 203	311 14,8	- 28, 80	+ 23, 87 <i>Struve</i>

<hr/>			
In 55,17 annis	+ 5, 00	- 1, 41	
	$d a'' = + 0, 091$;	$d b'' = - 0, 026$	
sec. Argelandrum	$d \alpha = + 0, 160$;	$d \delta = + 0, 089$	
<hr/>			
	$d' \alpha = + 0, 251$;	$d' \delta = + 0, 063$.	

Motus itaque comitis motui stellae primariae est proximus at paulo major. Stellas conjunctas esse dubitari nequit.

ι BOOTIS ((5,5.5,5).7,5). Distantia = 38".

Motus proprius annuus majoris est — 0",242 in AR, + 0",081 in Decl. . Recentissimis demum temporibus detexi majorem ex duabus aequalibus A et B sibi proximis esse compositam, quas motu communi ferri certum est. Si enim altera quiescisset, anno 1782 distantia 9" inter ipsas fuisset, quo tempore Herschelio I. simplex apparuit. Inter $\frac{A+B}{2}$ et C has habemus relationes:

1782,30:	$e = 35'',40$;	$P = 37^{\circ}39'$. <i>Herschelius I.</i>	
1820,25	38, 47	33 25 . <i>Struve per instrumenta minora</i>	
1822,24	38, 047	33 24 . <i>H. II. et Southius</i>	
1836,22	38, 053	33 11,5 . <i>Struve.</i>	

Posterioribus mensurae monstrant in 16 annis nil omnino inter stellas esse mutatum, quamquam motus proprius in majorem 2",7 effecit. Si Herscheliam meamque comparamus positionem, est:

1782,30:	$a = + 35'',41$;	$b = + 28'',03$	
1836,22	+ 33, 94	+ 31, 85	
<hr/>			
In 53,92 annis	- 1, 47	+ 3, 82	
	$d a'' = - 0, 027$;	$d b'' = + 0, 071$	
sec. Argelandrum	$d \alpha = - 0, 242$;	$d \delta = + 0, 081$	
<hr/>			
	$d' \alpha = - 0, 269$;	$d' \delta = + 0, 152$.	

Motus itaque comitis ejusdem naturae quam stellae primariae. Idem itaque hic se obtulit phaenomenon, quod in Castore vidimus, trium stellarum eodem motu propulsarum i. e. attractione copularum.

93 LEONIS (4,7.8,4). Distantia = 74".

Motus proprius annuus majoris est $-0'',176$ in AR et $+0'',004$ in Decl. Positiones sunt comparandae Herscheli II. et Southi atque mea:

1822,54:	$e = 74'',897$;	$P = 356^\circ 15'$;	$a = -5'',25$;	$b = +74'',74$
1836,33	74, 296	355 28,4	- 6, 27	+ 74, 07

In 13,79 annis $-1,02$ $-0,67$

$da'' = -0,074$; $db'' = -0,049$

sec. Argelandrum $d\alpha = -0,176$; $d\delta = +0,004$

$d'\alpha = -0,250$; $d'\delta = -0,045$.

Nulli dubitamus conjunctionem inter stellas pronuntiare cum motu lento circa centrum gravitatis conjunctam.

μ BOOTIS ((4,0.(6,7.7,3)). Distantia = 108".

Motus proprius annuus stellae magnae est $-0'',165$ in AR, $+0'',098$ in Decl. In 13 annis inde ex 1822 ad 1835 nil in relatione inter A et $\frac{B+C}{2}$ ex motu proprio mutatum esse mensurae probant in textu allatae, quae sumto medio inter annos 1821 et 1822 dant:

1822,01:	$e = 108'',85$;	$P = 171^\circ 54'$
1834,98	108, 46	171 53.

Herscheli I. mensura est incompleta, cum solum exhibeat angulum, qui vero sufficit ut probemus motum in AR, qui est gravior, esse etiam comitibus B et C. Si enim nullus esset ipsis motus, ex angulo pro 1835 = $171^\circ 53'$, respecto motu majoris, pro 1782 invenimus angulum circiter 176° , quem vero Herscheli observavit $170^\circ 25'$, non 4° majorem hodierno, sed $1^\circ 28'$ minorem. Sequitur Herscheli angulum motum praebere pro B et C paulo etiam majorem quam pro A. Stellae itaque μ Bootis et duae in PXV. 74. tertium offerunt exemplum trium stellarum communi motu latarum i. e. physice conjunctarum.

$\theta^2 \theta'$ TAURI (4,7.5,0). Distantia = 5'37".

Stellae majoris θ^2 est motus annuus $+0'',114$ in AR et $-0'',068$ in Decl. secundum Argelandrum. Hunc motum esse communem manifestatur, si schema inspicitur octo positionum inter stellas relativarum, inde ex Flamsteedi temporibus observatarum, quod dedit Argelander p. 63 Catalogi, quibus jam nostra accedit relatio pro 1836,13, quae dat $-5'',57$ temp. et $+5'27'',6$. Si jam extremas comparamus positiones relativae Flamsteedianae ex 11 observationibus pendente, quam pro 1696 valere accipio, eamque, habemus:

1696:	$a = -85'',50$;	$b = +5'26'',7$
1836	- 83,55	+ 5 27, 6

In 140 annis . . . , $+1,95$ $+0,9$

Effectus praecessionis . . . $-4,20$ $-1,4$

Motus relativus in 140 annis $-2,25$ $-0,5$.

At motus proprius θ^2 in 140 annis est $+16'',0$ in AR et $+9'',5$ in Decl., unde motus pro θ' sequitur in eodem intervallo $+13'',75$ in AR et $+9'',0$ in Decl.

ϵ et 5 LYBAE (4,6.6,3).(4,9.5,2). Distantia = 3'27".

Nexus physicus harum stellarum ex splendore et vicinitate jam per se probabilis, vide p. XLIII Introductionis catalogi, confirmatur motu proprio utrique proxime eodem, quamvis exiguo, qui est:

in ϵ Lyrae	$+0'',006$ in AR,	$+0'',070$ in Decl.
in 5 Lyrae	$+0,011$	$+0,085$.

Utraque stellarum est per se duplex ordinis III. Si itaque nexus ille locum habet, hae stellae duo paria offerunt copulata et circum centra sua gravitatis mobilia.

α TAURI (1,0.11,2). Distantia = 109".

Motus majoris proprius annuus est $+0'',080$ in AR, $-0'',168$ in Decl. Arduum est de his stellis recte dijudicare, cum et motus sint exigui et observationes ob comitis debilitatem difficiliores. Observationes hucusque sunt factae sequentes:

1781,96 :	$e = 87''{,}75$;	$P = 37^{\circ} 2'$.	Herschelius I.
1802		35 52 .	
1825,04		36 11 .	Southius
1836,06	109,038	36 0,2.	Struve.

Si extremas comparamus, prodit:

1781,96:	$a = + 54''{,}99$;	$b = + 70''{,}05$;
1836,06	+ 66, 73	+ 88, 21
In 49,57 annis	+ 11, 74	+ 18, 16
	$d a'' = + 0, 217$;	$d b'' = + 0, 336$
sec. Argelandrum	$d \alpha = + 0, 080$;	$d \delta = - 0, 168$
	$d' \alpha = + 0, 297$;	$d' \delta = + 0, 168$.

Motus itaque exit major comitis quam stellae primariae. In dubium vero vocari potest distantia Herscheliana. Si jam supponimus B fuisse in coelo immobilem, ex relatione pro 1836,06 respectu motu proprio eam calculare valemus, quae anno 1781,96 locum habere debuit, quae est:

	$e = 104''{,}6$;	$P = 40^{\circ} 48'$;
Est vero observata:	87, 75	37 2
Differentia . . .	- 16, 85	- 3 46.

Error hic 17" in distantia non solum admitti potest, sed ex ipso signo probabilis videtur. Error vero 3°46' in angulo pro tanta distantia vix accipiendus est, idque eo minus, quod anguli intermedi, inprimis anni 1802 ei non conveniunt. Differentia itaque inter angulum pro 1781 calculatum et observatum mutationem aliquam relationis inter stellas indicat. Motus vero comitis annuus supra acceptos, $da'' = + 0''{,}297$ et $db'' = + 0''{,}168$, prorsus irritos esse et ex falsa anni 1781 distantia originem traxisse, probare valeo ex differentiis in AR, quas inter stellas has anno jam 1827 ipso nostro tubo observaveram. Ut fides appareat, singulas transituum binorum per flum in circulo declinationis jacens differentias appono:

22. Febr.	22. Febr.	22. Febr.	25. Febr.	25. Febr.
+ 4'',5	+ 4'',9	+ 4'',4	+ 4'',6	+ 4'',5
4, 6	4, 55	4, 57	4, 62	4, 75
4, 8	4, 5	4, 5	4, 5	4, 62
4, 55	4, 72	4, 53	4, 65	4, 5
4, 75	4, 68		4, 68	
Medium + 4, 640	+ 4, 610	+ 4, 500	+ 4, 610	+ 4, 590.

Ex 23 transitibus est itaque:

pro 1827,15: $\Delta AR = + 4''{,}595$ temporis.

Si vero comparamus:

1828,15:	$a = + 68''{,}93$
1836,08	+ 66, 73

Est in 8,91 annis - 2, 20 et $da'' = - 0''{,}247$.

Mensura vero Herscheli I. dederat $da'' = + 0''{,}217$, signi oppositi. Luce clarius est distantiam Herscheliana vera minorem fuisse. Optimum jam videtur iudicium de his stellis prorsus differre, cum ob singularem comitis debilitatem etiam angulos priores in dubium vocare liceat. Southius enim ipse in angulo a se observato nullam habuit fiduciam. Relegemus itaque α Tauri et comitem ex his stellis copulationis probabilis ad eas, quas dubiae vocamus originis, quamquam maxime verisimile videatur compositionem mere opticam hic locum habere.

- 2) Stellarum plus 32" distantium optice compositarum non physice copularum inventa sunt paria 9, η Serpentis, λ Aurigae, α Aquilae, Pollux, α Lyrae, P.XXII. 219, 33 Pegasi, ζ et 35 Leonis, α Andromedae.

η SERPENTIS (3,3. 12,0). Distantia = 113".

Motus proprius stellae primariae est magnus, quotannis - 0'',595 in AR, - 0'',654 in Decl., seu 0'',882 in spatio. Duas solum habemus inter has stellas relationes Herscheli I. meamque, cum nemo inter 1780, et 1836 comitem propter debilitatem observaverit:

1780,46: $e = 81'',03$; $P = 99^\circ 7'$; $a = + 80'',12$; $b = - 12'',84$;
 1836,46 112, 70 77 11,5 +110, 04 + 24, 98

In 56,00 annis + 29, 92 + 37, 82
 Motus relativus annuus + 0, 534 + 0, 675
 Correctio ex praecessione - 0, 001 0, 000

$d a'' = + 0, 533$; $d b'' = + 0, 675$
 sec. Argelandrum $d \alpha = - 0, 593$; $d \delta = - 0, 654$

$d' \alpha = - 0, 060$; $d' \delta = + 0, 021$.

Hoc vult stellam minorem in coelo prorsus quiescere, cum motus residuus $0'',06$ quotannis in 56 annis tantum $3'',4$ efficiat, quem errorem in mensuris Herschelianis facile admittere possumus, aut in quantitate motus proprii stellae majoris.

λ AURIGAE. (5,2.8,7). Distantia = $104''$.

Magnus est stellae majoris motus annuus $+ 0'',678$ in AR et $- 0'',667$ in Decl. Herscheli I. nullae sunt mensurae. Relationibus in textu datis accedit mensura Southi. Ita habemus:

1820,79: $e =$; $P =$; $a = + 76'',65$; $b =$
 1825,10 $102'',143$ $34^\circ 36'$ + 75, 66 + $84'',08$
 1836,21 103, 597 26 2,2 + 65, 61 + 90, 58.

Extremis collatis accipimus:

in 15,42 annis $a' - a = - 11'',04$; in 11,11 annis $b' - b = + 6'',50$.
 Motus relativus annuus - $0'',715$ + $0'',585$
 Correctio ex praecessione - 0, 015 + 0, 006

$d a'' = - 0, 730$; $d b'' = + 0, 591$
 sec. Argelandrum $d \alpha = + 0, 678$; $d \delta = - 0, 667$

$d' \alpha = - 0, 052$; $d' \delta = - 0, 076$.

Motus itaque comitis est proxime nullus, dum magna quotannis $0'',85$ ingreditur.

α AQUILAE (1,5.10,2). Distantia = $120''$.

Praeter mensuras in textu datas mihi est una etiam pro 1825,53, ibi omissa, quo singulo die per tubum Fraunhoferianum inter α Aquilae et comitem et $\Delta AR = - 5'',95$ temporis et $\Delta Decl. = + 124'',80$ determinaveram. Ita haec exstiterunt inter stellas relationes recentiores:

1821,86: $a = - 86'',22$; $b = + 128'',86$. Struve
 1823,11 - 87,15 + 126,86. H. II. et Southi
 1825,53 - 89,25 + 124,80. Struve
 1836,29 - 94,61 + 120,24. »

Quaeramus medias in a et b mutationes annuas per methodum quadratorum minimorum, ita ut primis tribus relationibus pondus = 1, postremae pondus = 6 assignemus. Erit:

pro 1832,03 + 1: $a = - 92'',253 - 0'',5585 t$ $b = + 122'',329 - 0'',4971 t$.

Formulae dant pro singulis epochis:		Differentiae ab observatis:	
$a = - 86'',57$	$b = + 127'',38$	- $0'',35$	- $0'',48$
- 87, 27	+ 126, 76	- 0, 12	- 0, 10
- 88, 62	+ 125, 55	+ 0, 63	+ 0, 75
- 94, 63	+ 120, 21	- 0, 02	- 0, 03.

Si variationibus annuis correctiones adjicimus ex praecessione $+ 0'',0114$ et $+ 0'',0081$, nanciscimur:

$d a'' = - 0'',547$; $d b'' = - 0'',489$
 sec. Argelandrum $d \alpha = + 0, 560$; $d \delta = + 0, 389$

$d' \alpha = + 0, 013$; $d' \delta = - 0, 100$.

Motus itaque proprius comitis in AR est omnino nullus, et in Decl. tam exiguus, ut ipsius quantitatem ex imperfectione distantiarum in primis annorum 1821 et 1823 ortam esse supponere liceat. Si enim solam certiore differentiam declinationis pro 1825 comparamus, quippe quae ex tubo magno pendeat, erit $d b'' = - 0'',416$ et $d' \delta = - 0'',027$. In his negleximus observationem Herscheli I. pro 1781,83, qui invenit distantiam $143'',3$ et angulum $334^\circ 44'$.

Si comitem immobilem in coelo supponimus, ex relatione media inventa pro 1832,03, adhibitis motibus secundum Argelandrum, deducitur relatio pro 1781,83:

ex calculo	$e = 155''{,}40$	$P = 336^{\circ}9'$
quae est observata	$e = 143,3$	$P = 334\ 44$
Correctio observationis	+ 12,1	+ 1 25

Videmus calculatum angulum observato satis respondere i. e. ad $1^{\circ}25'$. Distantiae vero error 12" non mihi inexpectatus est, cum magnae distantiae plerumque apud Herschelium sint veris minores. Comes itaque α Aquilae in coelo quiescit, nec ulla est inter stellas conjunctio, sed optice solum sunt compositae.

In observationibus Dorpatensibus Vol. II. p. 196 ex observatione anni 1819 cum Herscheltiana collata oppositam protuleram sententiam copulationis inter has stellas, quam etiam amplexus est Herscheli II. in opere sibi et Southio communi p. 343. Quid Herscheli II. in falsam induxerit opinionem apertum est. De motus directione quadrante erravit, qui stellam α Aquilae non in directione agit ipsius comitis, sed in directione lineae stellas jungenti proxime normali. Ego vero eo falsus eram, quod errorem in signo commisi et $+14''{,}25$ loco $-14''{,}25$ adhibui.

POLLUX (2,0 . 11,0). Distantia = $203''{,}7$.

Motus est magnus stellae lucidae $-0''{,}711$ in AR et $-0''{,}058$ in Decl. Stellam magnam tres sequuntur stellulae, duae paulo viciniores debilissimae, tertia paulo distantior magnitudinis 11^{mae}, quam observavi. Eandem etiam observavit Southius. Comparatio dat:

1825,10 :	$e = 198''{,}47$;	$P = 72^{\circ}40'$;	$a = +215''{,}49$;	$b = +59''{,}13$
1836,26	203,75	73 52,2	+ 222,67	+ 56,63
			+ 7,18	- 2,50
			neglecta praecessione est $d\alpha'' = +0,643$;	$db'' = -0,224$
			sec. Argelandrum $d\alpha = -0,711$;	$d\delta = -0,058$
			$d'\alpha = -0,068$;	$d'\delta = -0,282$.

Magnus itaque motus in AR, quem habet Pollux, non est comitis. Motus vero comitis in Decl. ex mensurarum anni 1825 imperfectione facili explicatur. Comitem itaque immotam in coelo accipimus. Herscheli I. duas stellulas mensuravit, quas vocat Polluci proximas, omisit tertiam mihi observatam.

α LYRAE (1,0 . 10,5). Distantia = $42''$.

Motus lucidae est annuus $+0''{,}287$ in AR et $+0''{,}295$ in Decl. Mensurae inter has stellas exstiterunt hucusque sequentes:

1782,36 :	$e = 37''{,}74$;	$P = 116^{\circ}46'$.	Herscheli I.
1792,32	42,99	116 14	idem
1822,87	42,108	132 7	H. II et Southius
1825,56	41,563	133 30	Southius
1836,14	42,964	137 50,7	Struve

Herscheli I. mensurae annorum 1782 et 1792 non conveniunt, neque in angulo neque in distantia. Herscheli II. secundam patris mensuram longe praefereendam esse docuit, quippe quae instrumento multo perfectiori sit instituta. Prima itaque mensura rejecta, habemus has relationes:

1792,32 :	$a = +49''{,}34$,	$b = -19''{,}00$,	pondus = 1
1822,87	+ 39,98	- 28,24	1
1825,56	+ 38,59	- 28,61	2
1836,14	+ 36,91	- 31,85	5.

Respectis ponderibus taxatis per methodum quadratorum minimorum accipimus:

pro 1827,46 + t: $a = 39''{,}006 - 0''{,}2786 t$; $b = -29''{,}301 - 0''{,}2928 t$.

Formulae dant :		Differentiae :	
$a = +48''{,}79$,	$b = -19''{,}02$	$-0''{,}55$,	$-0''{,}02$
+ 40,28	- 27,96	+ 0,30	+ 0,28
+ 39,53	- 28,85	+ 0,94	- 0,24
+ 36,59	- 31,85	- 0,32	0,00.

Si variationibus annuis correctiunculas addimus ex praecessione petendas $- 0'',0050$ et $- 0'',0038$, evadit:

$$\begin{array}{l} d a'' = - 0'',284; \quad d b'' = - 0'',297 \\ \text{sec. Argelandrum } d \alpha = + 0,287; \quad d \delta = + 0,295 \\ \hline d' \alpha = + 0,003; \quad d' \delta = - 0,002. \end{array}$$

Id est stella exigua omnino quiescit, et compositio inter α Lyrae et comitem est mere optica.

P. XXII. 219. ((7,0.7,5).8,2). Distantia = $55''$.

Stellas duas viciniores communi motu ferri, qui est $- 0'',209$ in AR et $- 0'',291$ in Decl. quotannis, supra p. CV probatum est. Quod ad tertiam attinet stellam ex solis nostris mensuris tubo Fraunhoferiano institutis secundum p. 101 textus et appendicem III. has habemus medias, refractione correctas, inter A et C relationes:

1828,86:	$e = 56'',53$;	$P = 158^{\circ}28'$;	$a = + 20'',83$;	$b = - 52'',59$;	ex 1 die
1832,83	55,96	157 31	+ 21,49	- 51,71	3 diebus
1834,85	55,14	156 47	+ 21,82	- 50,68	4 »
1836,65	54,99	156 10	+ 22,31	- 50,30	5 »

Si jam pondera aequant numeros dierum, per methodum quadratorum minimorum accipimus:

$$\text{pro } 1834,25: a = + 21'',774 + 0'',2098 t; \quad b = - 51'',086 + 0'',3240 t.$$

Quae formulae dant:		Differentiae:	
$a = + 20'',64$,	$b = - 52'',83$	$- 0'',19$,	$- 0'',24$
+ 21,48	- 51,55	- 0,01	+ 0,16
+ 21,90	- 50,89	+ 0,08	- 0,21
+ 22,28	- 50,31	- 0,05	- 0,01.

Si variationibus annuis relativis $+ 0'',2098$ et $+ 0'',3240$ correctiunculas addimus ex praecessione $- 0'',0015$ et $- 0'',0006$, evadit:

$$\begin{array}{l} d' a = + 0'',208; \quad d' b = + 0'',323 \\ \text{sec. Argelandrum } d \alpha = - 0,209; \quad d \delta = - 0,291 \\ \hline d' \alpha = - 0,001; \quad d' \delta = + 0,032. \end{array}$$

Stella C itaque in coelo quiescit. In stella hac triplici duae stellae sunt physice copulatae, tertia vero optice tantum adjecta est.

33 PEGASI ((6,0.9,2).7,9). Distantia = $57''$.

Motus stellarum duarum proximarum communis est quotannis $+ 0'',344$ in AR et $- 0'',009$ in Decl.. Vide p. CVI. Quod ad tertiam stellam C attinet, collectis mensuris vicinis in unam mediam, has nanciscimur relationes:

1783,62:	$e = 45'',05$;	$P = 0^{\circ}48'$;	$a = + 0'',67$;	$b = + 45'',05$.	Herschelius I.
1823,71	56,05	345 45	- 14,68	+ 54,33.	H. II. et Southius
1829,93	56,145	343 57	- 16,52	+ 53,96.	Struve 1 dies
1832,83	56,615	343 4	- 17,55	+ 54,14,	» 4 »
1835,72	56,959	342 0	- 18,73	+ 54,17.	» 5 »

Mutatio relativa in AR est manifesta, et certissime poterit constitui, cum in differentiam ascensionis = a pro 1783 error in distantia nil agat, eaque ex solo angulo pendeat, quem Herschelium I. optime observasse constat. Si jam, adhibitis ponderibus $\frac{1}{2}$, $\frac{1}{3}$, 1, 4, 5, differentias ascensionis tractamus per methodum quadratorum, accipimus:

$$\text{pro } 1831,23 + t: a = - 17'',034 - 0'',3706 t.$$

Quae formula dat:	Differentiae:
$a = + 0'',61$	$- 0'',06$
- 14,25	+ 0,43
- 16,55	- 0,03
- 17,63	- 0,08
- 18,70	+ 0,03

Aliter res se habet cum differentiis in Decl.. Si recentiores comparantur mensurae, nullum in b est mutationis vestigium. Distantiam itaque Herscheli, ut alias plerumque, vera minorem fuisse existimandum est, quomobrem b pro 1783 rejiciamus necesse est. Quo facto recentiores b dant:

pro 1833,50 + t: $b = + 54'',146 + 0'',0000 t$.

Postquam itaque ad variationes annuas $- 0'',3706$ et $0'',0000$ correctiunculas adjecimus ex praecessione $+ 0'',0029$ et $+ 0'',0007$, evadit:

$$\begin{aligned} d a'' &= - 0'',368; & d b'' &= + 0'',001 \\ \text{sec. Argelandrum } d \alpha &= + 0,344; & d \delta &= - 0,009 \\ d' \alpha &= - 0,024; & d' \delta &= - 0,008. \end{aligned}$$

Elucet comitis C motum proprium esse prorsus nullum, eamque in coelo esse immobilem. 33 Pegasi itaque idem offert phaenomenon, quod P. XXII. 219 dedit, duas stellas proximas attractione esse conjunctas, tertiam vero in distantia 57'' apparentem non ad idem pertinere systema.

35 et ζ LEONIS (6,0.3,8). Distantia = 5'14''.

Stellae minori 35 Leonis est motus proprius secundum Argelandrum $- 0'',267$ in AR et $+ 0'',007$ in Decl.. At ζ Leonis ex Besseli Fundamentis est motus proxime nullus. Comparemus relationem inter has stellas pro 1755 ex Bradleyi observationibus deductam cum nostra. Si a 35 Leonis ordimur, habemus:

	1755 : $a = + 80'',2$;	$b = - 302'',9$	
	1836,42 + 100,31	- 300,85	
	In 81,42 annis + 20,11	+ 2,05	
	Motus annuus relativus + 0,2470	+ 0,0252	
	Correctio ex praecessione + 0,0205	+ 0,0042	
	$d a'' = + 0,268$;	$d b'' = + 0,029$	
sec. Argelandrum	$d \alpha = - 0,267$;	$d \delta = + 0,007$	
	$d' \alpha = + 0,001$;	$d' \delta = + 0,036$.	

Unde apparet stellae ζ motum in AR esse nullum, in Decl. valde exiguum, stellasque ζ et 35 Leonis non attractione esse copulatas.

α ANDROMEDAE. (2,0.11,2). Distantia = 65''.

Motus stellae lucidae est annuus $+ 0'',160$ in AR et $- 0'',145$ in Decl.. Mensurae hucusque sunt factae hae:

1781,55:	$e = 55'',53$;	$P = 259^{\circ}23'$;	$a = - 61'',75$;	$b = - 10'',23$
1824,84	(263)		- 71,85	(- 7,78)
1836,38	64,960	266 51,2	- 73,59	- 3,57.

De motu relativo nullum est dubium. Extremis collatis accipimus

in 54,85 annis	$a' - a = - 11'',84$;	$b' - b = + 6'',66$	
Motus annuus relativus	- 0,216	+ 0,121	
Correctio ex praecessione	+ 0,004	0,000	
	$d a'' = - 0'',212$;	$d b'' = + 0'',121$	
sec. Argelandrum	$d \alpha = + 0,160$;	$d \delta = - 0,145$	
	$d' \alpha = - 0,052$;	$d' \delta = - 0,024$.	

Motus qui prodit comitis est tam exiguus, ut ipsum mensurarum imperfectioni abscribere nullus dubitem. Aucta enim distantia Herscheliana, ut fas est, et $d' \alpha$ et $d' \delta$ propius ad 0,00 accedat. Comes itaque in coelo quiescit, nec est conjunctio physica inter α Andromedae et comitem.

3) Stellarum dubiae compositionis sunt paria 5 sequentia inventa: α Tauri, 6 et 8 Vulpeculae, 16 et 17 Draconis, 33 et 34 Ophiuchi, α^1 α^2 Capricorni.

De motu relativo in 6 et 8 Vulpeculae iudicium ferre non licet, cum Bradleyus declinationem alterius stellae non observaverit. In 16 et 17 Draconis similitudo motuum copulationi stellarum favere videtur, in α^1 et α^2 Capricorni vero splendores. In 33 Ophiuchi est apud Argelandrum motus exiguus, in 34 secundum Fundamenta nullus prorsus. Si relationem harum stellarum Bradleyanam cum nostra comparamus, habemus:

CXX

1755 :	$a = + 266'',0;$	$b = - 118'',0$	
1835,69	+ 272, 2	- 125, 3	
In 80,69 annis	+ 6, 2	- 7, 3	
Motus annuus relativus	+ 0, 077	- 0, 090	
Correctio ex praecessione	- 0, 010	- 0, 025	
	$da'' = + 0, 067;$	$db'' = - 0, 115$	
sec. Argelandrum	$d\alpha = - 0, 077;$	$d\delta = + 0, 007$	
	$d'\alpha = - 0, 010;$	$d'\delta = - 0, 108.$	

Unde elucet motus in 33 et 34 Ophiuchi esse satis diversos, ita ut hae stellae ex probabilitate optice compositis sint adnumerandae. De α Tauri vide p. CXY.

Si limites nobis in declinatione et distantia praescriptos transgredimur, si porro ditissimas in usum convertimus catalogi Argelandriani adnotationes, numerum stellarum ex motu proprio dijudicatorum etiam augeri potest. Notissimum est ex Besseli Fundamentis et ex Herscheli II. Southique mensuris, stellas 36 Ophiuchi et 30 Scorpii, quae 12' distant, communi magno motu proprio ferri, quarum altera 36 Ophiuchi eo est insignis, quod ipsa est duplex sensu strictiori. (In stellis 36 Ophiuchi motum in gyro circa centrum gravitatis locum habere satis celerem illustrissimus Herscheli II. ex Africanis suis observationibus cum prioribus collatis jam deduxit). Communis porro videtur motus in stellis duabus in ζ Ursae conjunctis et Alcore (G) 12' distanti, cujus vero non particeps est stella interjacens 8^{vae} magnitudinis Ludoviciana. Vide Obs. Dorp. Vol. I. et Argelandri adn. 303. γ Leporis 4^{iae} magnitudinis motum habet annum $= 0'',50$ in spatio, cujus participem esse comitem magnitudinis $= 6,5$ et Argelander probavit in catalogo et recentissimis his confirmatur mensuris micrometricis, quas refractione correctas exhibeo:

1825,04 :	$e = 94'',06;$	$P = 349^{\circ}27';$	$a = - 18'',64;$	$b = + 92'',47.$	<i>Southius</i>
1836,15	93, 70	349 34	- 18, 37	+ 92, 15	<i>Struve.</i>

Alia nonnulla exempla copulationis inter stellas physicae magis minusve probabilis sunt: 50 Persei et P. III. 242, 12',8 distantes, vide Argel. not. 101; 53 χ Ceti et comes 8^{vae} magn. 3' distans, vide Argel. not. 51; 41 Lyncis et comes 1',4 distans 8^{vae} magn., vide Argel. not. 194. — E contrario nulla est conjunctio physica, sed compositio mere optica in stellis: 33 Virginis et comite exigua 3',5 distanti, vide Argel. not. 286; 42 Comae et stellula 8',3 distanti, vide Argel. not. 293; 31 Aquilae et exigua 3' distanti, vide Argel. not. 441; 72 Cygni et stellula 13' distanti, vide Argel. not. 492; Anonyma, cui magnus est motus $+ 3'',5$ in AR quotannis, et exigua 5' distanti, vide Argel. not. 540.

12.

DE MOTU STELLARUM COMPOSITARUM IN ORBITIS.

Copulationem in stellis duplicibus physicam ex duobus hucusque deduximus argumentis, quorum alterum ex parva conjunctionis mere opticae probabilitate, alterum ex motu proprio binis stellis communi est petatum. Argumenta haec, quamvis validissima, sunt tamen indirecta. Stellas duas attractione esse junctas directe probari potest ex ipsius solum attractionis effectu i. e. eo, quod motus relativus locum habet in linea curva concava e regione alterius, saepe majoris. Curva haec est sectio conica, si attractio inter stellas fixas legem Neutoniam sequitur. In quo casu stella una in foco sectionis conicae accipi debet, circa quem ab altera secundum regulas Keplerianas sectores describuntur temporibus proportionales.

Hinc jam apparet, quam sit gravissima de motibus stellarum compositarum disquisitio, observationibus continuatis innixa. Docet num lex Neutoniana, attractiones esse in ratione inversa quadratorum distantiae, quam in systemate Solari certam esse omnium experientiarum i. e. observationum consensus probavit, sit lex universalis mundi stellati.

At ipsas stellarum duplicium motarum curvas observare non licet, sed projectiones earum orthographicas in planum directioni stellae a Terra visae normale. Id jam est problema astronomiae practicae respectu stellarum copulatarum propositum, curvas apparentes motus relativi summa cura determinare. Si, observationibus satis extensis, invenerimus orbitas apparentes esse ellipses, tum demum alterum erit instituendum examen, num sectores projecti sint temporibus proportionales eo perfectius, quo accuratiores institutae sint mensurae. Quo probato, motus stellarum copulatarum secundum leges Keplerianas perfici edocti erimus, et fas erit supponere locum, quem intra ellipsem apparentem altera occupat stella, esse projectionem foci orbitae ipsius ellipticae. Hac vero hypothesi accepta, absque difficultate, ex dimensionibus orbitae apparentis et ex loco stellae alterius, situs plani orbitae verae, ipsiusque dimensiones in partibus circuli expressae poterunt deduci. Si porro succedet aliquando parallaxin stellae duplicis ita exploratae determinare, tum et verae dimensiones orbitae, radiis orbitae terrestris expressae, et summa massarum stellarum copulatarum cum massa Solis comparata innotescunt. Si denique valebimus etiam punctum in systemate quiescens, i. e. centri gravitatis situm constituere, tum et singularum stellarum massas definire licebit.

Viri celeberrimi Savarius, Enckius, imprimis vero Herschelius II. denique Mädlerus orbitis stellarum copulatarum veris ex observationibus calculandis curam navarunt; quorum opera, praeter approximata revolutionum tempora, et reliqua elementa nonnullorum systematum, una excepta propter parallaxem deficientem vera diametro, sunt quodammodo cognita. Sed in omnibus his disquisitionibus praemissum invenimus, motus

perfici secundum leges Keplerianas, quod ex ipsis observationibus demum est probandum. Calculi materiem praebent mensurae, quas magnus ille coeli stellati scrutator Herschelius I. circa annos 1780 et 1802 de stellis duplicibus instituerat, comparatae cum observationibus, quae nostris temporibus inde ex anno 1814 Dorpati, Londini, Passis, Sloughiae, Regiomonti, Ormskirki, Berolini et alibi sunt factae. Sed praecisio mensurarum ultimis demum temporibus exstitit ea, qua opus est ut disquisitio de elementis orbitalium cum successu aliquo perficiatur. Herscheli I. angulos plerosque satis certos esse, dubitari nequit, quamquam major ipsorum pars ex singulorum dierum observationibus deducta videtur. Longe minoris vero certitudinis et utilitatis sunt distantiae, quae in catalogis Herschelianis afferuntur. Distantias enim minores quam 4" fere omnes et plurimas inter 4" et 8" expressit Herschelius I. sola proportione ad diametros stellarum in telescopio apparentes. Majores quidem distantias arcu dedit. At cum in plurimis stellis singula solum data sit distantia, nullum est de virtute ex congruentia iudicium. Id vero certum videtur, si Herscheli I. distantias, quae 32" superant, cum recentissimis comparamus mensuris, illas fere omnes minores esse hodiernis. Unde sequitur distantias illas Herschelianas vitiis laborare non levibus, et suspicio excitatur etiam minores distantias a 8" ad 32" similibus subjectas esse erroribus. Probabile videtur errores medios distantiarum Herschelianarum quodammodo enucleari posse ex completa comparatione distantiarum illarum cum optimis hodiernis, cum verisimile sit variationum effectum pro medio ex magno numero nullum proxime fore. Cum vero in manuscriptis Herschelianis plures debeant esse mensurae, quas ipse non publici juris fecit, ut elucet ex iis, quae Herschelius II. pro nonnullis stellis ex autographis extraxit: maximopere optandum est, novam adornari editionem completam mensurarum micrometricarum Herscheli I. de stellis duplicibus institutarum. Quae editio, si mensuras in forma originali exhibuerit, ansam fortasse praebebit, ut errores lectionis, qui etiam in angulis nonnullis aperte insunt, probabiliter aut certo emendentur. Errores hi eo apparent, quod anguli nonnulli ab Herschelio I. dati nullo modo iis conveniunt relationibus, quas recentiores mensurae poscunt. Accedit unum, quod in nova editione correctum speramus. Herschelius I. in catalogis annorum 1782 et 1784 stellae unicuique epocham assignat, quae videtur esse diei, quo stellam detexit esse duplicem. Mensuras vero saepe alii convenire epochae elucet ex positionibus a Herschelio II. citatis. Liceat mihi votum hic pronunciare, Herschelium II., post reditum ex Africa, attentionem in mensuras patris de stellis duplicibus factas denuo esse directurum.

In hac vero mensurarum, quae plus 50 annis abhinc sunt institutae, imperfectione optimum videtur disquisitionem subtiliorem de elementis orbitalium stellarum copulatarum eousque differre, quo mensurae perfectiores majorem temporis amplectentur ambitum, et omne studium eo convertere, ut observationum copiam et aciem amplificemus et augeamus. Hunc vero in finem opus est ante omnia ut noscamus, in quasnam stellas prae aliis attentio sit dirigenda. Erunt eae, in quibus mutatio aliqua innotuit relationis. Censum itaque jam dabo omnium stellarum catalogi mei, in quibus vel ex comparatione directionum Herscheli I., vel ex solarum recentiorum distantiarum et angulorum collatione, mutatio aliqua aut certe est cognita, aut probabiliter vel suspicione est indicata. In hoc censu divisionem stellarum in ordines distantiarum retinebo atque subdivisionem in stellas lucidas et reliquas ita indicabo, ut in columnis verticalibus stellae reliquae sint inferiores, a lucidis per asteriscos duos sejunctae. In quavis columna numerus ad laevam est catalogi mei, ad dextram inveniuntur loci stellarum in Herscheli I. catalogis.

RECENSIO STELLARUM DUPLICIUM SECUNDUM SITUUM RELATIVORUM MUTATIONES.

Stellae, in quibus mutatio est certa		Stellae, in quibus mutatio est probabilis		Stellae, in quibus mutationis est suspicio.	
ORDO I. a 0" ad 1".					
73. 36 ANDROMEDAE		412. 7 TAURI		460. CEPHEI 49 II.	
1356. ω LEONIS	I. 26	453. ATLAS PLEIADUM.		1500.	
1670. γ VIRGINIS	III. 18			2438. P. XVIII. 287.	I. 43
1728. 42 COMAE BER.		2737. ε EQUULEI			
1819.		*	*		
1937. η CORONAE	I. 16	2384.			
1967. γ CORONAE					
2055. λ OPHIUCHI	I. 83				
2084. ζ HERCULIS	I. 36				
2173.					
2262. τ OPHIUCHI	I. 88				
2729. 4 AQUARI	I. 44				
3062.	I. 39				
ORDO II. a 1" ad 2".					
948. 12 LYNCS	I. 6	262. ι CASSIOPEIAE	I. 34	1338. LYNCS 157.	
1196. ζ CANCRI	I. 24	314. PERSEI 85.	I. 38	1867. BOOTIS 260.	
1037.		728. 32 ORIONIS	I. 25	2281. 73 OPHIUCHI	I. 87
1523. ξ URSAE MAJORIS	I. 2	1126. P. VII. 170.	I. 23	2741. P. XX. 429.	I. 97
1938. P. XV. 74.	I. 17	1768. CANUM 181.		*	*
1998. ξ LIBRAE	I. 33	*	*		
2032. σ CORONAE	I. 3	269. P. II. 93.	I. 21	185.	
2107. HERCULIS 167.					
2579. δ CYGNI	I. 94				
*	*				
1757. P. XIII. 127.					
ORDO III. a 2" ad 4".					
1273. ε HYDRAE		299. γ CETI		425.	II. 52
1424. γ LEONIS	I. 28	1009. P. VI. 501.	I. 69	622. P. IV. 258.	I. 68
1536. ι LEONIS		1763. 81 VIRGINIS	I. 80	742. TAURI 380.	I. 70
1877. ε BOOTIS	I. 1	2161. ρ HERCULIS	II. 3	774. ζ ORIONIS	
1909. 44 BOOTIS	I. 15	2716. 49 CYGNI	II. 98	1777. 84 VIRGINIS	II. 44
1954. δ SERPENTIS	I. 42			1890. 39 BOOTIS	II. 79
2021. 49 SERPENTIS	I. 82			2323. 39 DRACONIS	I. 7
2130. μ DRACONIS	II. 13			2603. ε DRACONIS	I. 8
2382. ε LYRAE	II. 5			2605. ψ CYGNI	II. 15
2383. 5 LYRAE	II. 6			2644. P. XX. 26.	II. 96
2909. ζ AQUARI	II. 7			*	*
*	*			950. 15 MONOCEROTIS	
2120. HERCULIS 210.				2309.	I. 86
ORDO IV. a 4" ad 8".					
1110. CASTOR	II. 1	982. 38 GEMINORUM	III. 47	845. 41 AURIGAE	III. 82
1196. ζ CANCRI	III. 19	1965. ζ CORONAE	II. 8	1083.	III. 48
1263.		1985.	II. 85	1121. OFFICINAE 34.	II. 63
1306. σ ² URSAE MAJORIS	III. 54	2725.	II. 66	1224. υ' CANCRI	II. 41
1888. ξ BOOTIS	II. 18	2822. μ CYGNI	III. 15	1311. CANCRI 194.	III. 92
1998. ξ LIBRAE	II. 20	*	*	1346. 21 URSAE MAJORIS	II. 73
2272. ρ OPHIUCHI	II. 4	546.	II. 54	1813.	N. 98
		1804. BOOTIS 176.	N. 115	2917.	
		2776.	I. 46	*	*
		3024.	II. 94	516. 39 ERIDANI	N. 24
				583.	II. 81
				625.	II. 53
				1690.	II. 42
				2263.	II. 90
				2429.	I. 58

Stellae, in quibus mutatio est certa		Stellae, in quibus mutatio est probabilis		Stellae, in quibus mutationis est suspicio.	
ORDINES V et VI. a 8" ad 16".					
60. η CASSIOPEIAE	III. 3	653. 14 AURIGAE	IV. 19	570.	III. 100
1516.		752. ι ORIONIS	III. 12	590. 55 ERIDANI	III. 99
2758. 61 CYGNI	IV. 18	1821. κ BOOTIS	III. 11	753. 26 AURIGAE	III. 64
2760.		2737. ε EQUULEI	III. 21	1062. 19 LYNCS	III. 83
*	*	2816. P. XXI. 248.	III. 71	2690. P. XX. 177.	III. 16
23.		2939. P. XXII. 209.	III. 69	2806. β CEPHEI	III. 6
86.	III. 73	*	*	2848.	III. 74
2708.		288.	III. 79	*	*
		655. ι LEPORIS	III. 67	221.	III. 68
		2585. ζ SAGITTAE	II. 30	296. δ PERSEI	III. 58
				563.	III. 65
				719.	IV. 110
				1882. DRACONIS 60.	III. 61
				2051.	III. 102
				2625. P. XIX. 396.	III. 63
ORDINES VII et VIII. a 16" ad 32".					
136. 100 PISCUM	IV. 131	1540. 83 LEONIS	IV. 13	100. ζ PISCUM	IV. 8
1321.		2010. κ HERCULIS	V. 8	1268. 48 ι CANCRI	IV. 52
2420. σ DRACONIS	IV. 20	2580. χ CYGNI	IV. 11	1283.	IV. 111
3127. δ HERCULIS	V. 1	2816. P. XXI. 248.	III. 71	1575.	IV. 49
*	*	*	*	1972. π URSAE MINORIS	IV. 90
80. P. O. 251.		1132.	IV. 96	2063.	IV. 62
125.		1616.	IV. 114	2703.	IV. 92
142.				*	*
447.				36. 51 PISCUM	IV. 70
2777. δ EQUULEI	IV. 37			84. 26 CETI	IV. 83
				101.	IV. 77
				545.	IV. 74
				549.	IV. 75
				1351. λ URSAE MAJORIS	IV. 29
				1704. 44 VIRGINIS	IV. 51
				2115. HERCULIS 192.	IV. 122
				2567. P. XIX. 250.	IV. 132
				2960. 16 LACERTAE	IV. 85
				3039.	IV. 107

Ex recensione hac sequens jam deducitur:

SYNOPSIS MUTATIONUM IN STELLIS DUPLICIBUS.

Ordines	Distantiae	Numerus stellarum in ordinibus obviarum	Numeri stellarum, in quibus			Summa mutationum.
			mutatio est certa	mutatio est probabilis.	mutationis est suspicio.	
I.	0 ad 1"	91	13	4	3	15
II.	1 ad 2	314	10	6	5	15
III.	2 ad 4	535	12	5	12	19
IV.	4 ad 8	582	7	9	14	17
V et VI	8 ad 16	583	7	9	14	17
VII et VIII	16 ad 32	535	9	6	18	18
Summa		2640	58	39	66	101

Inter stellas duplices, quae intra 32" distant, opus nostrum itaque 58 exhibet, in quibus relativa positio mutationi est certe subjecta. Sunt porro 39, in quibus mutatio est probabilis, non vero certa, ita ut accipere debeamus non omnes has mutationes notatas vere locum habere, sed partem earum incertitudini observationum esse adscribendam. Non multum errare credo, si ex 10 motibus his 6 veros esse suppono et quatuor ex mensurarum defectu ortos. Simili modo ex iis 66 mutationibus, quarum mera existit suspicio, inter decem non plus quam tres vere locum habere accipio. His rationibus adhibitis, summas assignare valemus mutationum in variis ordinibus hucusque accipiendarum, quas in synopsi superiore postrema continet columna. Inter 2640 stellas compositas itaque mutationes occurrunt 101, seu una in 26 stellis. Si vero singulorum ordinum summas comparamus numeris stellarum in ordinibus occurrentium, mirum videtur inter 91 stellas primi ordinis mutationes innotuisse 16, seu singulam in stellis 5,7, in secundo ordine unam ex 21 et sic porro. Unde prodit in stellis primi ordinis multo frequentius innotuisse mutationes relationis, quam in sequentibus ordinibus.

Quod jam ad mutationum originem attinet, bifaria esse potest. Longe majorem earum numerum, imprimis in duplicibus lucidis, originem debere motui stellarum copulatarum in orbitis certum est. Ex mutationibus vero stellarum sectioni reliquarum pertinentium, praecipue in ordinibus majoris distantiae, nonnullas deberi motui proprio majoris stellae a comite prorsus disjunctae, in dubium vocari nequit; cujus originis δ Equulei jam certum existit exemplum. Vide p. CVIII. In futuro eo certe pervenimus, observationibus diutius et accuratius continuatis, ut origines duas tuto distinguere valeamus. Simplex enim est utriusque originis criterium. Si motus est in orbita, mutatio relationis apparens in linea curva perficitur et inaequali plerumque celeritate. Sin mutatio ex motu proprio stellae vel majoris vel fortasse utriusque est orta, tum motus relativus uniformis apparet et in linea recta.

At vero supra indicatum phaenomenon, in ordinibus distantiae primis mutationum frequentiam esse majorem quam in postremis, accuratius etiam est examinandum. Nam si eo solum foret effectum, quod priorum ordinum stellae plures sunt duabus epochis observatae et comparatae, tum phaenomenon hoc nullius foret momenti. Longe plurimae vero mutationes ex comparatione angulorum Herscheli I. cum hodiernis innotuerunt. Ut itaque justum de frequentia mutationum concilietur iudicium, etiam eae stellae duplices Herschelianaee sunt respiciendae, in quibus comparatio angulorum ante hos 50 annos observatorum cum hodiernis nullam mutationem obtulit. Subjungimus hic censum harum stellarum secundum ordines ita, ut iterum stellas nostras lucidas a reliquis sejungamus.

RECENSIO STELLARUM DUPLICIUM HERSCHELIANARUM, IN QUIBUS NULLA HUCUSQUE
INNOTUIT MUTATIO.

Stellae duplices lucidae	Stellae duplices reliquae	Stellae duplices lucidae	Stellae duplices reliquae
ORDO I. a 0" ad 1".		1295. 17 HYDRÆ II. 77	2634. II. 70
2118. 20 DRACONIS I. 19		1487. 54 LEONIS III. 30	2726. 52 CYGNI II. 25
		1545. 57 URSÆ III. 86	
		1864. π BOOTIS III. 8	
		2140. α HERCULIS II. 2	
		2264. 95 HERCUL. III. 26	
		2276. P.XVII.362. III. 56	
		2523. III. 57	
		2534. P.XIX.149. II. 69	
		2675. π CEPHEI III. 70	
		2863. ξ CEPHEI II. 16	
		2944. P.XXII.219. II. 57	
ORDO II. a 1" ad 2".			
729. 33 ORIONIS I. 22			
795. 52 ORIONIS I. 20			
941. I. 84			
1291. ι CANCRI I. 30			
1865. ζ BOOTIS N. 114			
2583. π AQUILAE I. 92			
ORDO III. a 2" ad 4".		ORDINES V et VI. a 8" ad 16".	
59. P. O. 281. I. 40	311. π ARIETIS I. 64	12. 35 PISCUM III. 62	318. 20 PERSEI III. 60
174. P. I. 179. I. 73	708. P. V. 84. I. 52	79. ANDR. 164. N. 45	471. ε PERSEI II. 22
179. ANDROM. 241. I. 89	712. I. 53	180. γ ARIETIS III. 9	741. III. 76
202. α PISCUM II. 12	1431. P. X. 67. I. 29	205. γ ANDROM. III. 5	761. σ ORIONIS II. 10
227. ι TRIANGUL. II. 34	1579. 65 URSÆ I. 72	550. 1 CAMEL. N. 67	920. III. 98
666. II. 48	2732. II. 100	668. β ORIONIS II. 33	1134. II. 39
919. 11 MONOC. I. 10		730. III. 93	1507. II. 78
1177. CANCRI 17. I. 11		762. σ ORIONIS II. 11	1547. 88 LEONIS III. 51
1334. 38 LYNCS I. 9		948. 12 LYNCS I. 6	1987. P.XV.220. III.103
1552. 90 LEONIS I. 27		1245. P. VIII.108. III. 49	2325. SCUT.SOB.29. N. 54
1596. 2 COMAE II. 47		1622. 2 CANUM III. 85	2588. III. 112
2078. 17 DRACONIS I. 4		1677. III. 53	2590. P.XIX.307. II. 28
2180. P. XVII. 147. I. 66		1685. P. XII. 201. IV. 58	2819. P. XXI. 256. III. 72
2316. 59 SERPENT. I. 12		1744. ζ URSÆ III. 2	
2448. I. 59		2280. 100 HERCUL. III. 41	
2624. I. 96		2449. III. 109	
2671. I. 95		2727. γ DELPHINI III. 10	
2762. P. XXI. 1. II. 97		2894. P. XXII.65. III. 17	
2935. P. XXII. 200. I. 50		2913. II. 59	
3049. σ CASSIOP. I. 5			
ORDO IV. a 4" ad 8".		ORDINES VII et VIII. a 16" ad 32".	
22. 38 PISCUM II. 50	3. ANDROM. 51. II. 83	98. IV. 120	93. α URS. MIN. IV. 1
61. 65 PISCUM II. 84	701. ORION. 188. II. 102	222. 59 ANDROM. IV. 129	311. π ARIETIS I. 64
262. ι CASSIOP. III. 4	788. II. 61	292. IV. 64	412. 7 TAURI IV. 88
376. II. 76	915. II. 89	533. IV. 72	571. III. 95
394. III. 77	1140. GEMIN. 201. II. 64	534. 62 TAURI IV. 109	587. IV. 73
422. P. III. 98. III. 45	1426. LEONIS 145. II. 43	696. 23 ORIONIS IV. 84	721. IV. 45
470. 32 ERIDANI II. 36	1724. β VIRGIN. III. 50	698. IV. 101	974. 59 AURIG. IV. 102
616. ω AURIG. II. 14	1873. II. 82	1138. 2 NAVIS. IV. 91	1190. 29 MONOC. IV. 97
716. 118 TAURI II. 75	2040. II. 88	1255. IV. 54	1687. 35 COMAE V. 130
738. λ ORIONIS II. 9	2056. II. 23	1657. 24 COMAE IV. 27	1894. 18 LIBRÆ IV. 56
919. 11 MONOCER. II. 17	2428. P. XVIII. 263. II. 93	1692. 12 CANUM IV. 17	1970. β SERPENTIS IV. 36
958. II. 72	2539. P. XIX. 169. II. 99	2308. 40 DRACON. IV. 67	2082. 42 HERCUL. IV. 63
1066. δ GEMINOR. II. 27	2570. P. XIX. 257. I. 91	2372. IV. 94	2096. 19 OPHIUCHI IV. 123
1223. φ CANCRI II. 40	2589. II. 95	2840. CEPHEI 147. IV. 79	2194. P. XVII. 200. III. 104
		2922. 8 LACERTÆ IV. 86	2796. IV. 103

Census hic 137 stellas Herschelianas continet, in quibus nulla hucusque apparuit mutatio, quarum 87 sunt stellae duplices lucidae, 50 ad sectionem reliquarum pertinentes.

Rejiciamus jam omnes stellas reliquas, et solas stellas Herschelianas, quae inter nostras lucidas inveniuntur, examinemus respectu mutationis magis minusve in variis ordinibus frequentis.

SYNOPSIS MUTATIONUM IN STELLIS DUPLICIBUS LUCIDIS HERSCHELIANIS
HUCUSQUE COGNITARUM.

Ordines	Distantiae	Numerus stellarum Hersch. in ordinibus obviarum	Numeri stellarum, in quibus			Summa mutationum	Inter 10 stellas mutationes inventae sunt
			mutatio est certa	mutatio est probabilis	mutationis est suspicio		
I	0" ad 1"	10	8	0	1	8,3	8,3
II	1 ad 2	19	7	4	2	10,0	5,3
III	2 ad 4	42	9	4	9	14,1	3,4
IV	4 ad 8	44	6	5	7	11,1	2,5
V et VI	8 ad 16	34	2	6	7	7,7	2,3
VII et VIII	16 ad 32	28	3	3	7	6,9	2,5
Summa		177	35	22	33	58,1	3,3

Synopsis haec manifestat in primo ordine, i. e. stellarum inter 0" et 1" distantium, mutationes relationis esse frequentissimas. Etenim ex 10 stellarum positionibus, post intervallum temporis 50 annorum denuo observatis, mutatio certa apparuit in octo. Frequentia haec deminuitur in ordinibus insequentibus satis celeriter ita ut inde a distantia 4" ad 32" usque mutationes tantum 2,4 in stellis 10 acciderint. Si jam ponderamus, mutationibus angularibus multo majoribus opus esse, ut percipiantur in stellis vicinissimis quam in distantioribus: concludimus maxima cum certitudine, revolutiones multo celerius in universum perferri iis stellis duplicibus, quae nobis vicinissimae apparent, quam in distantioribus.

Vicinia duarum stellarum copulatarum apparens ex duabus pendet conditionibus, ex orbitae vera diametro et situ atque ex distantia stellarum a Sole. Fingamus Castorem, cujus stellae magnitudinum 2,7 et 3,6 nunc 4",8 fere distant, transpositum in distantiam a Sole sexies majorem. Videbimus duplicem ad primum ordinem censendum, cum distantia sit 0",8, compositam ex duabus stellis magnitudinum 7 et 7,5, aut etiam debilioribus, si extinctio luminis locum habet. Stellae itaque ordinis primi, si ex sola majori distantia a Sole vicinitatem nocturnae essent apparentem, multo minoris in universum deberent esse splendoris, quam stellae in ceteris ordinibus. Hoc vero locum non habet, cum stellae ordinis primi sint aequae lucidae ac ordinum sequentium. Sumto enim ex 55 paribus ordinis primi medio, inveni mediam magnitudinem stellae ad hunc ordinem in sectione lucidarum pertinentis = 7,0. Eodem modo ex 49 paribus stellarum lucidarum ordinis octavi mediam inveni magnitudinem = 7,0. Discrimen ne minimum quidem apparuit. Si hoc argumentum cum illo conjungimus certissimo, quod supra ex celeritatibus motuum in orbitis ductum est, theorema sequens gravissimum rigore demonstratum potest haberi:

divisio stellarum duplicium in ordines secundum medias inter ipsas distantias non in fundamento nititur mere optico. In universum stellae primi ordinis, inter 0" et 1" distantes, sunt etiam eae, quarum distantiae lineares alterius ab altera sunt minimae, et sic porro in sequentibus ordinibus. Quo viciniore itaque nobis videntur stellae, eo major est universim actio gravitationis, qua copulantur, eo citius moventur in orbitis circa centrum gravitatis, eo minores habent revolutionis periodos.

Enuntiationem hanc generalem tantum esse, et in singulis casibus exceptiones admittere, facile intelligitur.

In quatuor stellis duplicibus tempora revolutionum sunt proxime cognita, cum integrae circiter revolutiones inde ex mensuris Herscheli I. sint perfectae, quae sunt:

η Coronae,	cujus revolutio est	43	annorum,
ζ Cancri	— —	57	—
ξ Ursae maj.	— —	61	—
ρ Ophiuchi	— —	80	—

De quibus stellis, ut de aliarum orbitis, acutissime tractavit Herschelius II. in duabus dissertationibus. Etiam in his periodis legem servatam videmus, minores revolutiones minoribus respondere distantis. Nam η Coronae est ea ex quatuor, quae ordini nostro primo est adscripta; ζ Cancri et ξ Ursae sunt ordinis II; ρ Ophiuchi est nunc temporis ordinis IV. In ξ Ursae et ρ Ophiuchi Herschelius II. verae orbitae invenit semiaxem majorem = $3''$,278 et = $4''$,329. Deminuamus cogitatione semiaxem systematis ρ Ophiuchi, ita ut sit = $1''$, erit periodus = $80 : 4,329^{45} = 8,88$ annorum. Probabile est itaque inter stellas ordinis primi revolutiones inveniri multo breviores quam eas, quae hucusque certo innotuerunt. Exemplum revolutionis brevissimae, 14 fortasse tantum annorum, offerre videtur stella maxime inter duplices memorabilis ζ Herculis, de qua vide p. 6 et App. III. Alterum fortasse offeret exemplum stella 42 Comae Ber., vide p. 4 et App. III. Etiam γ Coronae, 2173, τ Ophiuchi sunt stellae, in quibus breviores suspicamus periodos.

Ex parte opposita revolutiones magnarum periodorum expectandae sunt in stellarum orbitis, quarum semiaxes majores $32''$ excedunt. Ponamus distantiam inter ρ Ophiuchi et satellitem vicies aucteri, erit = $86''$ seu proxima ea, in qua a 40 Eridani comes distat, de quibus certe copulatis fusius tractavi p. CXI. Revolutionis tempus jam foret $80 \cdot 20^{45} = 7155$ annorum, et medius motus angularis tam lentus, ut directio comitis per vicanos annos singulo tantum gradu mutaretur. Non itaque alienum est in stellis copulatis magnarum distantiarum apparentium motus hucusque nullos vel perexiguos apparuisse. Inter stellas plus $32''$ distantes, si eas excipis, in quibus notus stellae majoris motus proprius mutationem effecit, vide p. CXV ad CXIX, paucae tantum reperiuntur, quarum relationes certe mutatae innotuerint. Sunt enim:

634. Camelopardali 19	Hev.	(4,5 . 7,9) . 34",0 .	Pag. 248;
1678. Anonyma		(6,3 . 7,0) . 32, 6 .	Pag. 248;
2637. δ Sagittae A et C.		(6,0 . 7,1) . 70, 7 .	Pag. 161;
2776. Anonyma A et B.		(7,7 . 9,0) . 84, 9 .	Pag. 133.

Gravissimum erit observationibus discernere, num sint etiam in his stellis motus proprii hucusque incogniti, nec ne. Adjicimus suspicionem mutationis exstitisse in 40 Eridani, in Castore et comite C, de quibus vide p. CXI et CXIII, porro in Ceti 499, δ Bootis, et P. XIX. 320 et 321, de quibus vide Appendicem I.

Examinemus jam postremo loco etiam eas mutationes, quae in stellis triplicibus, quarum catalogos dedi p. XCV et seq., usque ad hunc diem sunt cognitae. Motum tam binarum stellarum arctius junctarum quam tertiae stellae distantioris indubio modo observatum invenimus in solis duabus stellis ζ Cancri et ξ Librae, vide pag. 18, 22 et App. III. Utraque offert in obsequium legis gravitationis periodum stellae distantioris multo majorem esse quam propioris. In ζ Cancri stellarum vicinarum est revolutionis

in directione retrograda peractae periodus 57 annorum; quo tempore tertia stella in eadem directione apparenti 34° perfecit, si motum ipsius inde ex Herscheli I. mensuris ad hodiernum diem usque ad punctum inter illas intermedium referimus. Si jam motus est circularis in plano ad directionem a Terra ad stellam normali, pro comite hac tertia periodus deducitur 600 circiter annorum. Sed futuris astronomis destinatum est decernere, qui sit situs duorum planorum, in quibus motus hi perficiuntur, et experientia demonstrare, quatenus motus trium illorum corporum copulatorum secundum leges Neutonianas perficiantur. Etiam in stellis tribus ξ Librae celerior est motus proximarum, 180° in 54 annis, quam distantioris, quae in eodem tempore 14° tantum progressa apparuit. At vero maxima attentione hic dignum videtur, directiones apparentes duorum motuum inter se esse oppositas. Quod ad reliquas stellas triplices attinet, sunt etiam duae, in quibus proximarum stellarum ex observationibus prodiit motus, dico 12 Lyncis et ι Cassiopeiae. Sed in neutra stellam tertiam situm mutasse invenimus. Mirum denique videtur stellam pulcherrime triplicem 11 Monocerotis, ex stellis albis fere aequalibus magnitudinum 5,0, 5,5 et 6,0 compositam, ne minimam post plus quam 50 annos prodidisse mutationem, quamquam distantiae sunt apparentes tantum $2''.5$ et $7''.3$. Vide p. 45. Supponendum videtur aut massas harum stellarum esse perexiguas pro magnitudine apparenti, aut distantiam a Sole esse multo majorem, quam quae in plurimis stellis hujus splendoris locum habet.

*COMPARATIO MENSURARUM PER TUBUM FRAUNHOFERIANUM PERFECTARUM CUM ALIIS MENSURIS.
EXAMEN ERRORUM CONSTANTIUM.*

Jam in capite hujus Introductionis septimo inde a p. LV de fide mensurarum nostrarum egimus, respectis vero solis erroribus fortuitis. Constantes vero eos nuncupamus errores, qui in iisdem quantitibus mensuratione constitutis semper iidem existunt, vel ex defectu aliquo instrumenti, vel ex methodo observationis imperfecta, aut ex prava in judicio ferendo consuetudine. Errores itaque constantes in instrumentales et personales possunt dividi. Errores instrumentales non raro cognoscuntur per examinationem instrumenti, qua facta correctiones innotescunt mensuris applicandae. Exemplum offerunt errores divisionum in instrumentis circularibus exaratarum. Alii errores, difficiles fortasse cogniti, per scitam operationum combinationem innocui redduntur. Ita in tempore absoluto per tubum culminatorium constituendo et cylindrorum inaequales diametri et lineae collimationis incertitudo et axis flexio eliminantur, si instrumentum in utraque adhibetur axis positione. Errores personales majori observantis attentione possunt deminui. Multis vero occasionibus arduum videtur duo errorum genera tuto sejungere, unde primarium prodit observantis officium, ut, si errorum singulorum effectum numeris constituere correctionesque adhibere non valeat, limites saltem deducat errorum combinatorum metuendorum. Hac enim sola via observationum veram fidem, non tantum apparentem, aestimare valebit.

Omnes fere observatores experti consentiunt de egregia fide, quam micrometrum filare in directionibus binarum stellarum vicinarum constituendis offert; minus vero favens est de mensuris distantiarum judicium. Motum diurnum, eo ex apparentia celeriolem, quo major est ocularis amplificatio, utriusque generis observationi, inprimis vero distantiae mensurandae impedimentum singulare obtulisse notum est. Amovit hoc in nostro telescopio artificis sollertia, cum spontaneum traderet apparatusi circa axem horarium motum, qui stellarum incessum egregia imitabatur constantia. Summum hinc prodiisse emolumentum mensuris nostris perficiendis jam supra dixi p. XVII, quae jam instituebantur ac si coelum motu diurno sublato quiescebat, unde maximarum etiam amplificationum usus erat idoneus. Jure itaque debuit expectari telescopium nostrum non solum in directionibus sed etiam in distantis majorem praestare certitudinem quam instrumenta minora prius usitata, cum motui diurno sublato summa accederet telescopii vis optica et admiranda ipsius apparatus micrometrici in omnibus partibus perfectio. Expectationem hanc non falsam fuisse ipsae

capitis septimi disquisitiones circa fidem mensurarum ex una parte demonstraverunt. Superest vero ut inquiremus, nonne mensurae nostrae constantibus laborent erroribus.

A. COMPARATIO ET EXAMINATIO DISTANTIARUM.

Ex comparatione distantiarum per tubum Fraunhoferianum acceptarum cum iis distantis, quae post Herschelium I. variis instrumentis ab astronomis sunt constitutae, singulare prodiit phaenomenon distantias nostras ab omnibus reliquis certo aliquo sensu differre, et quidem ita ut iis minores sint. Maximi momenti videtur esse, medias differentias inter diversarum serierum distantias determinare, quibus demum cognitis ex singularum stellarum mensuris collatis tutius de mutatione seu de constantia relationis prodit iudicium.

1) DIFFERENTIAE ASCENSIONUM RECTARUM DORPATI INDE EX 1814 TUBIS MERIDIANIS OBSERVATARUM.

Tempore prima est series observationum, quas inde ab initio anni 1814 inceperam, differentiarum inter stellas vicinas in ascensione recta opera tuborum culminatoriorum constitutarum, continuata ad annum 1825 usque. Additamentum in fine operis adjectum summas harum observationum exhibet. Qualem vero praecisionem seu potius constantiam obtulerit methodus transituum, si satis magnus est eorum numerus, plura exempla monstrant ibi obvia, ex quibus Castorem et α Cassiopeiae eligo, inter omnes saepissime observatas:

CASTOR (2,7 . 3,7).

1814,21:	$\Delta AR = -0",441$	ex 13 culm.;	differ. a med. =	$+0",016$	temp. =	$+0",20$	in spatio.
1819,23	0,416	13		-0,009		= -0,11	
1823,65	0,430	45		+0,005		= +0,06	
1825,15	0,417	39		-0,008		= -0,10	

Medium 1822,54 — 0,425 ex 110 culminationibus.

α CASSIOPEIAE (2,5 . 10)

1815,27:	$\Delta AR = -6",880$	ex 2 culm.;	differ. a med. =	$-0",001$	temp. =	$-0",01$	in spatio.
1818,87	6,867	13		-0,014		= -0,12	
1819,38	6,809	9		-0,072		= -0,61	
1820,65	6,918	6		+0,037		= +0,31	
1823,72	6,950	5		+0,069		= +0,58	
1824,68	6,909	9		+0,028		= +0,24	

Medium 1820,79 — 6,881 ex 44 culminationibus.

Observandum est comitem α Cassiopeiae esse tam debilem, ut Herschelio II. et Southio nulla successerit distantiae mensura.

In parvis vero ΔAR jam diu errores constantes suspicabar, cum stellarum vicinia perturbationem in iudicanda fractione minuti secundi pro transitu per filum proferre posset. Ut rem constituerem, eas stellas elegi, in quibus minime octo diebus ΔAR erat observata, quarum numerus exstitit 99, iis rejectis, in quibus notabilis est relationis mutatio. Medias ΔAR observatas = $\Delta'a$ comparavi cum iis, quae calculo prodiebant = $\Delta\alpha$ ex distantis et directionibus tubo Fraunhoferiano observatis. Stellis in duas classes sejunctis, quarum prima differentias continebat minores quam $1''$ temporis, altera vero majores, prodiit:

in prima classe $\Delta'a$ in 56 stellis ex 59 majorem esse quam $\Delta\alpha$; in secunda classe vero ex 40 stellis in 25 majorem esse $\Delta'a$, minorem in 15;

Si $Aa - A'a = c$ correctionem differentiae ascensionis in tubis culminatoriis observatae voco, elucet esse c functionem ipsius $A'a$. Correctionem c porro ab angulo directionis inter stellas $= P$ pendere patet. Supposui $c = k \cdot \sin P$, ubi k est variabile cum $A'a$. Ut jam varia pro k pretia innotescerent, omnes stellas conjunxi declinationis minoris quam 45° secundum differentias inter $0'',2$ et $0'',4$ temporis, inter $0'',4$ et $0'',6$, inter $0'',6$ et $1'',0$; et pro differentiis inter $1'',0$ et $1'',5$ et majoribus quam $1'',5$ omnes stellas ad 60° declinationis usque. Ita calculo perfecto haec accipi:

pro $A'a = 0'',35$; $k = -0'',090$ ex 16 stellis.
$= 0,50$ $-0'',077$ ex 19 „
$= 0,77$ $-0'',053$ ex 12 „
$= 1,29$ $-0'',032$ ex 18 „
$= 2,05$ $0,000$ ex 12 „

His accedit pro $A'a = 0'',00$ etiam $k = 0$. Sex pretiis ita cognitis curvam graphice adaptavi, ex qua sequens prodit tabula coordinatarum k :

$A'a$	k	$A'a$	k	$A'a$	k	$A'a$	k
0',0	0',000	0',5	-0',083	1',0	-0',042	1',5	-0',014
0,1	-0,061	0,6	-0,074	1,1	-0,036	1,6	-0,010
0,2	-0,082	0,7	-0,065	1,2	-0,031	1,7	-0,006
0,3	-0,090	0,8	-0,056	1,3	-0,025	1,8	-0,003
0,4	-0,089	0,9	-0,049	1,4	-0,019	1,9	-0,001
0,5	-0,083	1,0	-0,042	1,5	-0,014	2,0	0,000

Jam tabulam hanc ad novam ita adhibui comparisonem, ut, si $A'a + k \cdot \sin P = A''a$, ex $A''a - Aa$ errores cognoscerem residuos. Accipi:

- ex 57 stellis, inter $0'',0$ et $1'',0$ in AAR et $a - 10^\circ$ ad $+60^\circ$ declinationis, errorem probabilem in $A''a$ pro singula stella $= 0'',0294$ temp. $= 0'',376$ in spatio $= f'$;
- ex 31 stellis, inter $1'',0$ et $3'',0$ in AAR et $a - 10^\circ$ ad $+60^\circ$ declinationis, errorem probabilem in $A''a$ pro singula stella $= 0'',0296$ temp. $= 0'',379$ in spatio $= f'$.

Inter 60° et 82° declinationis sunt 11 stellae, inter quas $A'a$ tantum in tribus est minor quam $2''$. Pro his idem assumi k . Quo accepto, sequens est comparatio inter observatas $A''a$ et calculatas Aa .

Numerus catalogi.	Nomen stellae	Decl.	$A'a$	c	$A''a$	Aa	$Aa - A''a = f$	$15 f \cdot \cos \delta = f'$
1051		73° 25'	7'',366	0'',000	7'',366	7'',203	-0'',163	-0'',70
1362		73 51	0,815	-0,037	0,778	0,800	+0,022	+0,09
1694	CAMEL. 32 H.	84 20	8,069	0,000	8,069	7,903	-0,166	-0,24
1972	α' URS. MIN.	81 1	12,882	0,000	12,882	12,753	-0,129	0,30
2308	40. 41 DRAC.	79 58	6,426	0,000	6,426	6,514	+0,088	+0,23
2452	DRACON. 233	75 33	1,035	-0,026	1,009	1,161	+0,152	+0,57
2675	α CEPHEI	77 9	1,783	-0,003	1,780	1,833	+0,053	+0,18
2806	β CEPHEI	69 47	2,418	0,000	2,418	2,407	-0,011	-0,06
2863	ξ CEPHEI	63 46	0,792	-0,053	0,739	0,800	+0,061	+0,40
2873	CEPHEI 180	82 1	6,398	0,000	6,398	6,483	+0,085	+0,18
3053		65 7	2,271	0,000	2,271	2,258	-0,013	-0,08

Ex postrema columna prodit error probabilis in $\Delta''\alpha$ pro singula stella duplici in spatium reductus $f' = 0'',228$. Errores hi probabiles correctarum differentiarum in AR , $f' = 0'',38$ et $f' = 0'',23$ in spatio, fidem arguunt methodi transituum eo magis, quod f' ex triplici fonte oritur conjuncto, imperfectione observatae differentiae in AR , imperfectione in ΔAR calculata, et mutatione in intervallo 10 fere annorum obvia. Nullus vero jam dubitavi tabulam hanc correctionum k per $c = k \sin P$ ad omnes nostras $\Delta\alpha$ per tubos culminatorios acceptas adhibere; et persuasum est correctas $\Delta''\alpha$ ita erroribus esse liberatas, ut jam ex comparatione cum mensuris serius per magnum tubum institutis fructus capere possimus bonos.

Explicatio vero errorum in differentiis ascensionis inter stellas vicinas constantium mihi facilis videtur. Notum est spatium lucidum opaco, quamquam ejusdem prorsus dimensionis, majus taxari. Ut vero fractionem minuti temporis secundi, qua stella per filum transit, constituamus, comparantur duo spatia inter stellam et medium filum pro duobus insequentibus horologii sonis auditis, inter quos transitus per filum locum habuit. Si jam stellae duae sunt vicinae, interpositiones alterius stellae inter filum et alteram ex una seu altera regione locum habere possunt, quae partem illam ut nimiam taxemus efficit, in qua interpositio accidit. Pro stella antecedente itaque pars minuti secundi posterior, pro insequenti pars prior nimia judicatur; unde id prodit, ut transitum prioris citius, posterioris sero notemus, et differentia nimia evadat. Interpositio vero rarius locum habet si differentia in ascensione propior est ad $1''$, unde sequitur correctionem c cum ipsa differentia $\Delta\alpha$ decrescere. Cum vero pro $\Delta\alpha = 0$ sit etiam $c = 0$, sequitur maximum c pro fractione aliqua $\Delta\alpha = 0, x$ locum habere, a qua decrescit c donec evanescat. Experientia docuit c evanescere pro $\Delta\alpha = 2''$ temporis. Error vero c , cum ex judicio prodeat, est personalis. Probabile est non omnibus astronomis idem c convenire, quamquam veri simile videtur omnibus ejusdem fore naturae. Si ex singula stella iudicium ferre licet, Argelandro meum proxime convenit c , Besselio vero minus. Inter stellas Castoris est enim differentia constituta, mihi $= 0'',425$, Argelandro $= 0'',418$, Besselio vero $= 0'',365$. Vide Argelandri catalogi notam 156 et Obs. Regiom. X. pag. X.

2) DISTANTIAE DORPATI INDE EX 1821 AD 1823 PER MICROMETRUM FILARE FRAUNHOFERIANUM TUBO TROUGHTONIANO APPLICATUM OBSERVATAE.

Etiam harum mensurarum synopsis dedi in Additamento extremo huic operi adjecto. Ut vero distantiarum comparationem perficerem cum iis, quas tubus noster magnus obtulit, omnes adhibui stellas, iis tantum rejectis, in quibus aut mutatio distantiae erat certa aut comes erat debilior, quam quae in tubo minori tuto observaretur. Si distantiam tubo magno acceptam per Σ , distantiam quam tubus minor dedit per Σ' designo, ex 86 stellis comparatis prodiit medium:

$$\Sigma = \Sigma' - 0'',185.$$

At primo intuitu elucebat differentiam pro distantis mutari. Sejunctis itaque stellis in classes accepi:

Numerus stellarum	Distantiae	Media dist. = Σ'	$\Sigma =$	Error probabilis in $\Sigma - \Sigma'$
17	2" ad 4"	3'',85	$\Sigma' - 0'',525$	0'',049
25	4 ad 8	6, 16	$- 0, 276$	0, 036
25	8 ad 16	12, 04	$- 0, 028$	0, 064
19	16 ad 32	24, 83	$+ 0, 032$	0, 086

Schema hoc monstrat differentiam mediam constantem $c = \Sigma - \Sigma'$ cum distantia deminui, et pro $\Sigma' = 12''$ jam fere evanescere. Attentione vero dignum est differentiam in minoribus distantibus ita esse pronunciatam, ut omnes 17 stellae inter $0''$ et $4''$ distantiae idem obtulerint pro c signum negativum. Ex 25 stellis a $4''$ ad $8''$ negativum fuit c in 23 stellis, positivum in duabus solum; inter $8''$ et $16''$ vero — inventum in 13 stellis, + in 12; inter $16''$ et $32''$ denique — in 9 stellis, + in 10. Nullus itaque dubitavi tabulam sequentem interpolatione perficere, qua adhibita mensurae nostrae distantiarum in singulis stellis cum recentissimis ita comparabiles fiunt, ut nulli sint metuendi errores constantes:

Σ'	$\Sigma - \Sigma'$ = c	Σ'	$\Sigma - \Sigma'$ = c
3",0	- 0",53	8",0	- 0",20
4, 0	- 0, 50	9, 0	- 0, 16
5, 0	- 0, 39	10, 0	- 0, 12
6, 0	- 0, 29	11, 0	- 0, 08
7, 0	- 0, 24	12, 0	- 0, 04
8, 0	- 0, 20	13, 0	0, 00

Hac adhibita tabula calculavi differentias residuas ex comparatione inter $\Sigma' + c = \Sigma''$ et Σ , quae offerunt pro:

distantia a $0''$ ad $4''$ in singula stella differentiam probabilem $\Sigma - \Sigma'' = 0",203$,	
" 4 " 8 " " " " " " " 0, 181,	
" 8 " 16 " " " " " " " 0, 318,	
" 16 " 32 " " " " " " " 0, 378;	

quae differentiae observationum errores et mutationes pro 10 fere annis continent. In majoribus distantibus errores observationum majores inveniri eo explicatur, quod in tubo hoc, deficiente motu parallactico, difficilior erat majorum distantiarum quam minorum mensura.

Sed periculum faciamus etiam hujus differentiae constantis explicandae. In instrumentis meridianis Reichenbachianis ad declinationes mensurandas duo extenduntur fila horizontalia, inter quae stella observanda interponitur. Distantia eorum in tubis quinque pedum maxime idonea est $12''$ arcus inter axes filorum. Si enim fila multo viciniora sunt, stellae interpositae indistincte videntur; in hac vero distantia $12''$ nulla est amplius visus perturbatio, cum minimarum stellarum declinationes possint observari. Simile vero phaenomenon locum habere debet in exiguis distantibus inter stellae opera micrometri filaris mensurandis. Utraque stella a filo secatur. Si vero nimis vicina sunt fila, discolorum divisorum segmenta inter fila jacentia indistinctis videntur segmentis extrinsecus excedentibus. Hinc jam prodit, ut divisionem falso judicemus, et segmenta tum demum aequalia supponamus, ubi excedentia sunt interioribus vere minora, i. e. ut distantias veris accipiamus majores. Errorum quantitates a priori designare non licet. Id vero in aperto est, errores eo majores esse debere, quo minor est tubi amplificatio et, ni fallor, quo crassiora sunt micrometri fila. Pro variis autem distantibus in eodem tubo observatis errores ita mutari debent, ut a termino aliquo decrescant. Terminus hic est minimae distantiae, quam per utriusque stellae sectionem mensurare licet, quae in tubo Troughtoniano erat $3''$. Minores enim distantias ita semper emensus sum, ut alteram stellam filo dissecarem, alteram in

medio collocarem inter duo fila spatium. Etiam in hac operatione simili modo peccari debebat ex eadem causa. Tabula correctionum $c = \Sigma - \Sigma'$ cum hac explicatione mirum in modum convenit. Maximum offert $c = 0'',53$ in minimis distantibus inter $3''$ et $4''$, quas dissectione utriusque stellae tuto mensurare potui. Inde a distantia $4''$ decrescit c et in distantia $13''$ est $c = 0$. Persuasum mihi est hanc non solum verisimilem sed veram esse phaenomeni explicationem.

3) DISTANTIAE AB HERSCHELIO II. ET SOUTHIO ANNIS 1821 AD 1823 CONJUNCTIM OBSERVATAE.

Observationes, quas clarissimi illi astronomi conjunctim annis 1821 ad 1823 opera tubi parallactici 5 pedum Londini perfecerunt, in Transactionibus philosophicis anni 1824 inveniuntur. Sunt 380 stellae ab ipsis mensurae, ex quibus idoneas elegi 50, per totum opus dispositas, ad comparationem perficiendam, ex qua prodiit medium:

$$\Sigma = Sh - 0'',588 \text{ cum errore probabili } 0'',049.$$

Differentia probabilis residua inter Σ et $Sh - 0'',588$ erat pro singula stella $0'',347$.

4) DISTANTIAE A SOUTHIO ANNIS 1823 AD 1825 OBSERVATAE.

Mensuras una cum Herschelio II. inchoatas continuavit Southius solus et Londini, imprimis vero Passis Parisiorum annis 1823 ad 1825, et per idem instrumentum 5 pedum et per simile aliud, cujus tubus erat 7 pedum. Relationem harum mensurarum, quae 458 stellae spectant, invenies in Transactionibus philosophicis anni 1826. Etiam ex his 458 stellis elegi maxime idoneas ex toto opere 50, ex quarum comparatione accepi medium:

$$\Sigma = S - 0'',428 \text{ cum errore probabili } 0'',037.$$

Differentia probabilis residua inter Σ et $S - 0'',428$ erat pro singula stella $0'',260$. At vero in 3) et in 4) pro variis distantibus similis lex, qualem in comparatione inter Σ et Σ' inveneram, vix percipi potuit. Quod mihi non mirum visum est, cum utraque series laboret majori aliqua imperfectione, quae variationem differentiae a distantia pendentem absorbuisset videtur. Scilicet astronomi illi tum temporis non alternas observabant distantias utrimque a filo immobili, unde duplex earum prodiret pretium, sed ex altera tantum parte distantias simplices, adhibita pro tota nocte medio aliquo coincidentiae filorum numero, quem tamen ex pluribus causis mutari posse constat. Ex hac unica causa enormes differentiae mihi explicandae videntur, quas mensurae nonnullarum stellarum praesertim in phil. Trans. 1824 offerunt, ut α Piscium, β Eridani, ω Aurigae, λ Orionis, φ° Cancri, aliae.

8) DISTANTIAE AB HERSCHELIO II. ANNIS 1828 AD 1830 OBSERVATAE.

Ad hanc seriem perficiendam Herschellius II. Sloughiae idem adhibuit instrumentum parallacticum, tubo septem pedum instructum, quo Southius antea Passis observaverat. Mensurae 364 stellarum inveniuntur in Actis societatis astronomicae Londinensis Vol. V. p. 13 ad 91. Comparatio hujus seriei cum nostris mensuris eo certior evadit, quod mensurae sunt proxime ejusdem temporis; ad quam perficiendam adhibui omnes stellas plus quam semel mensuratas, in quibus nulla ex debilitate erat difficultas, adjectis solum in majoribus distantibus etiam stellis una nocte tantum observatis, cum aliter numerus fuisset exiguus.

Numerus omnium stellarum comparatarum est 138, ex quibus medium prodiit $\Sigma = h - 0'',312$. Postea vero stellas in classes divisi, unde sequentes prodierunt differentiae:

Numerus stellarum	Distantia	Media dist $= h$	$\Sigma =$	Error probabilis in $\Sigma - h$
25	1" ad 2"	1,46	$h + 0'',037$	0'',034
33	2 ad 4	3,03	$- 0,361$	0,047
27	4 ad 8	5,76	$- 0,607$	0,052
35	8 ad 16	11,24	$- 0,406$	0,083
18	16 ad 32	24,18	$- 0,079$	0,070

Schema hoc monstrat, differentiam $c = \Sigma - h$ in distantiis minoribus quam 2" nullam fere esse, tum vero negativam evadere, ita ut, postquam maximum pretium adepta est negativum, in majoribus distantiiis iterum ad 0 accedat. Maximum c proxime in distantia 8" locum habere inveni, cum 22 stellae inter 6" et 10" pro $h = 7'',79$ offerant $c = - 0'',636$. Singulare phaenomenon c in minimis distantiiis nullum esse, ni fallor, inde explicandum est, quod in his distantiiis methodus mensurarum alia fuit quam dissectionis utriusque stellae per media fila, quae ob vicinitatem vix perfici poterat. Rejected itaque stellis minoris distantiae quam 2", ex reliquis per medium prodit:

$$\Sigma = h \quad 0'',389.$$

Ex omnibus stellis per suas differentias c correctis seu ex $(h + c) - \Sigma$ prodit error probabilis residuus in singula stella 0'',313, ita tamen ut in vicinioribus stellis sit aliquanto minor quam in distantioribus. Accuratiores vero earum stellarum inspectio, quae pluribus diebus sunt observatae, inexpectatas offert mensurarum discrepantias, quarum originem quaeras in imperfecta aliqua conditione ipsius apparatus, quam auctor ipse indicavit p. 18, ubi queritur perpetuo se vexatum esse eo, quod fila per saltus perspicuos progredierentur. Adjici debet ex ipsis auctoris verbis concludi debere, se postremis demum temporibus methodum amplexum esse distantiarum duplicium, quam ipse prius usitatae longe preferendam esse agnovit. (P. 18 haec invenies verba: I will only further remark on this point of my subject, that finding a material fluctuation of the zero point when frequently examined on the same night, I have at length given over using a zero altogether, and substituted the infinitely preferable method of alternate measures on the positive and negative side of one thread, allowed to remain unmoved.) Valde est dolendum Herschelium epocham, ex qua perfectiorem adhibuerit methodum, non accuratius designasse. Si recte recordor etiam medio anno 1830, cum Angliam visitare mihi contigit, altera methodus imperfecta ibi erat usitata*).

6) DISTANTIAE A DAWESIO ANNIS 1830 AD 1833 OBSERVATAE.

Inter series mensurarum in Anglia de stellis duplicibus institutarum excellit singulari modo ea, quam rev. Dawesius perfecit Ormskirki annis a 1830 ad 1833, cujus relatio invenitur in Actis societatis astronomicae Londinensis Vol. V. p. 135 ad 146 et Vol. VIII. p. 61 ad 94. Instrumentum ejus parallacticum tubo erat instructum 5 pedum et

*) Postea inveni in Actis soc. astron. Londinensis Vol. VIII. p. 41 adnotationem sub Nr. 787, ex qua patet alternas mensuras demum ex epocha 1831,08 ab Herschelio II. esse usitatas, unde elucet omnes mensuras hujus seriei 364 stellarum priori via esse perfectas.

aperturæ 3,9 pollicum, cujus virtus pro dimensione egregia inde elucet, quod et duplices ob viciniam difficiles se jungebat, ut ζ Cancri, ξ Libræ, et satis tenues monstrabat satellites, ut comitem α Andromedæ. Primo vero inspectu in oculos cadit peculiaris constantia in ejusdem stellæ repetitis mensuris, quæ et apparatus micrometrici perfectionem et astronomi arguit sollertiam, probatam etiam ex ipsa doctissima introductione in Vol. VIII., quæ notiones continet attentione dignas. Videmus distantias ex utraque parte a filo constanti esse observatas. Ad comparationem cum meis distantibus perficiendam elegi eas stellas, quæ minime duobus diebus sunt Dawesio observatæ, rejectis illis, quarum comes erat debilior. Ex 54 stellis prodiit:

$$\Sigma = D - 0'',196 \text{ cum errore probabili } 0'',019;$$

quæ differentia pro omnibus distantibus ad 16" usque proxime constans fuit, cum invenerim:

ex 30 stellis inter 1" et 4": $\Sigma = D - 0'',166$ cum errore prob. 0'',025;			
15	4 et 8	— 0,214	0,035;
9	8 et 16	— 0,284	0,045.

Si omnes $D - 0'',196$ cum Σ comparantur, prodit differentia residua probabilis in singula stella 0'',127, cujus parvitas aciem peculiarem mensurarum Dawesianarum probat.

7) DISTANTIAE A HERSCHELIO II. ANNIS 1831 AD 1833 OBSERVATAE.

Recentissimam in Anglia dedit seriem Herscheliuss II. in Vol. VIII. Actorum societatis astronomicae Londinensis p. 37 ad 59, annis 1831 ad 1833 Sloughiae perfectam eodem instrumento, quo prius usus erat. Sunt 376 mensurae 140 stellarum, in quarum distantibus determinandis semper alternæ observationes utrimque a filo altero non moto sunt adhibitæ. Optica erat instrumenti conditio tum temporis egregia, ita ut majores plerumque adhiberentur cum fructu amplificationes, quam antea. Ad comparationem idoneas stellas inveni 74, quæ sumto medio dabant:

$$\Sigma = h' - 0'',128.$$

Examine vero instituto secundum distantiae subdivisiones, accepti hoc:

Numerus stellarum	Distantia	Media distantia = h'	$\Sigma =$	Error prob. in $\Sigma - h'$
19	1" ad 2"	1'',43	$h' + 0'',006$	0'',040
21	2 ad 4	3,04	— 0,346	0,035
20	4 ad 8	5,96	— 0,120	0,057
14	8 ad 16	11,03	— 0,047	0,068

Hic idem valere videtur, quod in 5) jam adnotavi, aliam fuisse methodum pro distantibus inter 1" et 2" mensurandis, quam pro majoribus. Differentiæ vero $\Sigma - h'$ in hac serie sunt longe minores quam in priore, et inde a 2" eandem prorsus legem videntur servare, quam mensuræ priores Dorpatenses in 1). Quantum vero lucratae sint mensuræ Herscheliana, perfectiore assumpta alternarum distantiarum operatione, et manifestatur ex comparatione mensurarum ejusdem stellæ variis diebus perfectarum, quæ in hac serie multo melius conveniunt, et ex residuis differentiis inter singulas distantias Σ et $h' + c$ elucet. Ex omnibus enim prodit probabilis differentia inter Σ et $h' + c$ in singula stella = 0'',207, ita quidem, ut in stellis minoris distantiae quam 4" paululo minor sit quam in majoribus intervallis. Stellas plus quam 16" distantes examinare non licuit, cum numerus earum sit exiguus.

Ponamus jam sub uno intuitu medias has distantiarum micrometricarum differentias:

Nomina observantium	Media epocha seriei	Comparatio	Numerus stellarum comparatarum	Error probabilis residui pro sin- gula stella.
Struve	1822,3	$\Sigma = \Sigma' - 0'',185$	86	0'',268
Herschelius II. et Southius	1822,8	$\Sigma = Sh - 0,588$	50	0,347
Southius	1825	$\Sigma = S - 0,428$	50	0,260
Herschelius II.	1829	$\Sigma = h - 0,312$	138	0,313
Dawesius	1832	$\Sigma = D - 0,196$	54	0,127
Herschelius II.	1832	$\Sigma = h' - 0,128$	74	0,207
Struve	1832	Σ		

Schemati huic nonnullas adjicio adnotationes.

- 1) Differentia constans distantiarum in Anglia mensurarum et nostrarum per tubum Fraunhoferianum acceptarum inde ex 1822 ita decrevit, ut approximatio continua distantiarum illarum ad nostras locum habuerit. Dubitari nequit, quin hoc proveniret ex majori cura observationibus impensa et ex meliori methodo mensurarum postremis temporibus adhibita. Non ingratum vero mihi fuit, cum viderem observationes Dorpati annis jam 1821 ad 1823 institutas, quamquam instrumentum fuerat vi optica inferius et motu parallactico carens, jam tum temporis eandem fere obtulisse approximationem, quam postremae exhibent observationes Dawesi et Herscheli II.
- 2) Errores probabiles in postrema columna dati inserviunt ad praecisionem singularum distantiarum per differentiam constantem reductarum taxandam, monstrantque mensuras Dawesi reliquas certitudine longe superare. Primi vero errores, pro Σ' , Sh , et S , sunt paululum deminuendi, cum in iis insit etiam effectus mutationis stellarum ex motu in orbita, qui pro h , D et h' proxime nullus existit, in quibus distantias ejusdem proxime epochae ex meis ad comparationem adhibuerim.
- 3) Differentiae constantes ex earum stellarum comparatione deductae sunt, quarum comites satis splendidae erant, quae etiam in minoribus tubis sine difficultate observarentur. Si comparatio ad eas stellas extenditur, quae debiliores sunt, tum non solum errores probabiles in singulis stellis, sed etiam medias differentias aliquanto majores evadere expertus sum.
- 3) Differentiae $\Sigma - \Sigma'$ explicationem supra p. CXXXIV tentavi. Eandem explicationem etiam in ceteris differentiis valere persuasum habeo, quamquam pars illarum ex methodis prodixisse potest, quas in tractando ipso micrometro filari, imprimis in motibus per cochleam proferendis alii astronomi fortasse alias sequantur. Methodum meam distantiarum tubo magno mensurarum fusius exposui in capite 5 pag. XXVIII seq. Confido me omnes cautelas observasse, ne ulli errores constanti sensu agentes ex apparatus indole oriundi in distantias meas irrepserint, et sententiam proferre audeo, ipsum id, meas distantias esse reliquis minores et per se in favorem earum pronuntiare, et eo praecipue, quod experientia reliquarum distantiarum approximationem manifestavit progredientem. Sed

dicat aliquis, verum distantiarum terminum ne nostro quidem telescopio esse datum. Concedimus ex ipsa differentiarum explicatione sequi, distantias nostras, si errore aliquo laborant constanti, veris majores potius quam minores esse debere. Sed conijcere possumus hunc errorem nostrarum mensurarum valde exiguum seu proxime nullum esse, si recordamur differentias inter distantias minoribus tubis et nostro mensuratas postremis temporibus jam ita parvas existisse, si opticam tubi nostri praestantiam, si magnas spectamus amplificationes, in minimis distantis usitatas. Conjectura haec etiam ex pluribus indiciis confirmatur, quae in ipsis mensuris nostris sunt oblata. Si in stella multiplici stellarum singularum positiones non ad solam primariam referuntur, sed vario modo inter se tam directionibus quam distantis comparantur: tum stellarum relatio est plus quam definita. Operatio relationum maxime probabilium invenientiarum, de qua p. L tractavi, ad errores residuos ducit, qui eo minores erunt, quo perfectior est mensura. Luculentissimum obtulit nobis exemplum trapezium θ Orionis, de quo vide p. 242 ad 244, in cujus 6 distantis, postquam ad 6 directiones insuper mensuratas sunt compensatae, residui errores existerunt $+ 0",011$, $+ 0",012$, $- 0",040$, $+ 0",052$, $+ 0",078$, $- 0",128$. Alia exempla vide p. LIII et LIV citata. Accedit huic argumento aequalitas discriminum progredientium in distantis earum stellarum, in quibus manifesta est distantiae mutatio, cujus exempla luculentissima offerunt stellae 1670, 1909, 2120, 1263, 2272, 1516, 2758, 2760, 3127 et aliae, de quibus vide p. 4, 49, 76, 93, 98, 140, 169, 195 et App. III. pluribus locis et alibi.

Mensurae, quas hucusque comparavimus, omnes apparatu ejusdem indolis, micrometro filari, erant institutae. Superest ut comparisonem faciamus nostrarum distantiarum per tubum Fraunhoferianum acceptarum cum illis, quas Besselius magno illo heliometro Monacensi, quod decus est speculae Regiomontanae, observavit, quarumque relationem invenies in Schumacheri Actis astronomicis No. 240. Conveneramus ut uterque nostrum relationes 37 stellarum duplicium ex iteratis mensuris ea constitueret fide, quam pro apparatus nostrorum perfectione attingere liceret. Loco citato Besselius mensuras utrasque et distantiarum et directionum contulit, unde prodiit etiam has duas series pro distantis differentiam aliquam, quamvis parvam, indubie tamen offerre, et ita quidem ut distantiae Dorpatenses sint etiam Regiomontanis minores. Cum in pluribus stellis, adscitis mensuris nonnullis recentioribus Dorpati institutis, epocharum differentiae paulo minores evadant: novam hic propono distantiarum comparisonem, secundum ipsas distantias digestam. In iis vero stellis, in quibus annua distantiae mutatio $= \delta$ non prorsus negligenda erat, interpolatione inter frequentiores nostras mensuras id curavi, ut epocharum differentia evaderet nulla. Ita medias differentias a mutatione stellarum prorsus liberatas esse dubitari nequit.

COMPARATIO DISTANTIARUM REGIOMONTANARUM ET DORPATENSIVM.

	Nomen stellae	Epocha		Distantia		$\Sigma - B$		$\Sigma - B'$
		Besseli	Struvi	Besseli	Struvi			
1	ζ BOOTIS	1831,18	1830,47	1,288	1,189	- 0,099	+ 0,71 δ	+ 0,008
2	ζ CANCRI <i>Act B</i>	1832,19	1832,28	1,323	1,115	- 0,208	- 0,09 δ	- 0,098
3	π AQUILAE	1830,82	1829,96	1,582	1,502	- 0,080	+ 0,86 δ	+ 0,046
4	γ VIRGINIS	1830,59	1830,59	1,586	1,605	+ 0,019	+ 0,00 δ	+ 0,178
5	ξ URSAE MAJ.	1831,08	1831,07	1,863	1,709	- 0,154	+ 0,01 δ	- 0,009
6	γ LEONIS	1830,80	1830,74	2,621	2,482	- 0,139	+ 0,06 δ	+ 0,046
7	ζ ORIONIS	1831,93	1831,22	2,727	2,347	- 0,380	+ 0,71 δ	- 0,190
8	δ LYRAE	1830,72	1831,44	2,817	2,573	- 0,244	- 0,72 δ	- 0,049
9	ε BOOTIS	1831,56	1830,52	2,959	2,641	- 0,318	+ 1,04 δ	- 0,116
10	ε LYRAE	1830,72	1831,44	3,313	3,034	- 0,279	- 0,72 δ	- 0,064
11	ζ AQUARI	1830,98	1830,79	3,525	3,499	- 0,026	+ 0,19 δ	+ 0,196
12	α PISCIVM	1830,93	1831,16	3,775	3,636	- 0,139	- 0,23 δ	+ 0,092
13	ι TRIANGVLI	1831,05	1830,97	3,877	3,598	- 0,279	+ 0,08 δ	- 0,044
14	λ ORIONIS	1831,05	1830,81	4,525	4,236	- 0,289	+ 0,24 δ	- 0,039
15	CASTOR	1831,06	1831,31	4,730	4,464	- 0,266	- 0,25 δ	- 0,011
16	φ CANCRI	1831,33	1831,31	4,892	4,533	- 0,359	+ 0,02 δ	- 0,101
17	α HERCVLIS	1830,92	1829,63	4,994	4,648	- 0,346	+ 1,29 δ	- 0,086
18	118 TAURI	1830,83	1829,63	5,100	4,894	- 0,206	+ 1,20 δ	+ 0,055
19	ρ OPHIVCHI	1830,50	1830,50	5,474	5,249	- 0,225	+ 0,00 δ	+ 0,039
20	ρ OPHIVCHI	1831,53	1831,53	5,679	5,392	- 0,287	+ 0,00 δ	- 0,021
21	ρ OPHIVCHI	1832,69	1832,69	5,794	5,545	- 0,249	+ 0,00 δ	+ 0,018
22	ζ CANCRI <i>Act C</i>	1832,19	1832,28	5,555	5,464	- 0,091	- 0,09 δ	+ 0,174
23	ν CANCRI	1831,67	1830,76	6,101	5,838	- 0,263	+ 0,91 δ	+ 0,006
24	38 GEMINORVM	1831,60	1829,24	6,133	5,736	- 0,397	+ 2,36 δ	- 0,129
25	ζ CORONAE	1830,68	1829,70	6,178	6,002	- 0,176	+ 0,98 δ	+ 0,092
26	π BOOTIS	1831,05	1830,32	6,181	5,831	- 0,350	+ 0,73 δ	- 0,082
27	ξ BOOTIS	1831,40	1832,43	7,304	7,142	- 0,162	- 1,03 δ	+ 0,099
28	41 AURIGAE	1830,85	1830,31	8,156	7,997	- 0,159	+ 0,54 δ	+ 0,091
29	γ ARIETIS	1830,93	1830,84	8,957	8,651	- 0,326	+ 0,09 δ	- 0,089
30	η CASSIOPEIAE	1830,75	1830,75	10,073	9,896	- 0,177	+ 0,00 δ	+ 0,036
31	1 CAMELOPARD.	1830,83	1830,57	10,461	10,133	- 0,328	+ 0,26 δ	- 0,123
32	γ ANDROMEDAE	1830,76	1830,02	10,552	10,332	- 0,220	+ 0,74 δ	- 0,016
33	γ DELPHINI	1830,89	1830,89	12,016	11,904	- 0,112	+ 0,00 δ	+ 0,057
34	β CEPHEI	1830,80	1832,26	13,594	13,574	- 0,020	- 1,46 δ	+ 0,105
35	100 HERCVLIS	1830,95	1831,72	14,024	13,847	- 0,177	- 0,77 δ	- 0,063
36	ζ URSAE MAJ.	1831,01	1830,63	14,435	14,368	- 0,067	+ 0,38 δ	+ 0,036
37	20 LYNCS	1831,17	1830,55	15,137	15,036	- 0,101	+ 0,62 δ	- 0,016
38	61 CVGNI	1830,84	1830,84	15,658	15,597	- 0,041	+ 0,00 δ	+ 0,034
39	θ SERPENTIS	1830,75	1830,05	21,712	21,647	- 0,065	+ 0,70 δ	- 0,054
40	ζ PISCIVM	1830,90	1832,83	23,364	23,456	+ 0,092	- 1,93 δ	+ 0,097
41	β CVGNI	1831,81	1832,12	34,327	34,292	- 0,035	- 0,31 δ	- 0,035

Ex omnibus 41 stellis media evadit differentia:

$$\Sigma - B = 0^{\circ},188 \text{ cum errore probabili } 0^{\circ},013.$$

Si vero distantias non multum inaequales conjungimus, has accipimus differentias subsequentes:

Distantia <i>B</i>	$\Sigma - B$	Numerus stellarum
1",53	- 0",104	5
2,89	- 0,272	5
4,09	- 0,200	5
5,23	- 0,285	5
6,02	- 0,235	5
8,14	- 0,235	5
12,13	- 0,171	5
15,07	- 0,070	3
26,46	- 0,003	3

Adscito $\Sigma - B = 0$ pro $B = 0$, ex hic datis graphice curvam quaesivi, cujus ordinatae differentias $c = \Sigma - B$ exprimerent. Figura IV. curvam exhibet, in cujus vicinia per puncta differentias novem designavi, ad quae curva erat accommodanda. Ex curva jam sequens deducta est tabula reductionis c pro singulis distantiae minutis secundis:

<i>B</i>	<i>c</i>	<i>B</i>	<i>c</i>	<i>B</i>	<i>c</i>
1"	- 0",088	10"	- 0",215	19"	- 0",025
2	- 0,154	11	- 0,194	20	- 0,019
3	- 0,204	12	- 0,169	21	- 0,014
4	- 0,239	13	- 0,141	22	- 0,010
5	- 0,260	14	- 0,114	23	- 0,006
6	- 0,269	15	- 0,088	24	- 0,004
7	- 0,265	16	- 0,065	25	- 0,002
8	- 0,253	17	- 0,049	26	0,000
9	- 0,236	18	- 0,036	27	0,000

Postrema columna in schemate comparationis 41 distantiarum residuas monstrat differentias $\Sigma - B'$, si $B' = B + c$; ex quibus, sumtis quadratis, differentia residua prodit probabilis pro singula stella = 0",063, vix major quam quae ex fortuitis erroribus expectari debuit. Videmus denique Besseli distantias = B esse proxime iis aequales, quae minoribus instrumentis prius Dorpati et postremis temporibus Ormskirki et Sloughiae sunt observatae. Habemus enim ex mediis:

$$\begin{aligned}
 B &= \Sigma' + 0",003 = Sh - 0",400 = S - 0",240 \\
 &= h - 0,124 = D - 0,008 = h' + 0,060.
 \end{aligned}$$

Certum est vero aut Dorpatenses distantias, aut Regiomontanas, aut utrasque erroribus, quamquam exiguis, esse subjectas. Tanta vero est Besseli et instrumenti ab illo usitati auctoritas, ut nunc in disquisitione priore, in qua tum approximationem reliquarum mensurarum micrometro filari perfectarum ad nostras continuam monstravi, tum ex aliis indicationibus fidem nostrarum distantiarum vindicare studui, acquiescere non liceat. Si enim distantiae Besseli sunt verae, terminum, de quo supra dixi, nostris distantis non attigimus sed transgressi sumus. At mirum sane foret, postquam mihi successisset annis jam 1821 ad 1823 per instrumentum parvae dimensionis veras proxime mensurare distantias, me deinde per instrumentum omni respectu longe perfectius errores constantes commisisse notabiles. Adjici etiam debet, hos errores non in magnis distantis, in quibus usus micrometri filaris est paulo difficilior, sed in iis ipsis adesse debere, in quibus et mensurae est major facilitas et ipsius observantis ex usu maximarum amplificationum summa fiducia. In

hac rerum conditione solum remedium ad controversiam recte dijudicandam ex directis experimentis petendum erat, i. e. ex mensura inter stellas duplices artificiales instituenda, quarum distantiae angulares verae e linearibus omni certitudine possunt cognosci.

Orbiculi duo albi in fundo nigro depicti et in idonea distantia expositi, si per tubum adspiciuntur, effigiem stellae duplilis ita imitantur, ut vix similis aliquid excogitari possit. Eam enim offerunt speciem, praesertim si Solis radii in ipsos cadunt, quam stellae mox post Solis occasum in partibus coeli orientalibus observatae exhibent, ubi obscurior est coeli fundus, a quo tamen fila etiam nigriora perfectissime distinguuntur. Varias stellarum magnitudines per idoneas effinguntur orbiculorum diametros. Formae vero eorum maxime concinnae debent esse et albedo perfectissima. Fundum mihi obtulit tabula vel pertica lignea colore pallide nigro tincta, in qua schedulae ex charta albissima glutine constanter figebantur. Orbiculi in schedis non circino, sed ad formam modulorum ex metallo tornatorum penicillo delineabantur, unde summa efficiebatur figurae concinnitas. Talibus disculis albis jam in iis operationibus, quae ad cochleae revolutiones constituendas inserviebant, usus eram, quarum est narratio in p. XII. Mensurae ibi prolatae probaverunt pretium revolutionis cochleae pro variis distantis 9',5, 4',7, 1',05 et 32" mensuratis idem prorsus esse assumendum i. e. in his distantis nullos locum habere errores constantes. Distantiam angularem = 31",586, ex distantia lineari perfectissime notam, ex 10 mensuris duplicibus eo loco = 31",599 observatam invenies cum errore probabili 0",017, qui major est quam vera aberratio 0",013. Si itaque errores constantes locum habent, in solis minoribus distantis inveniantur necesse est.

Ut vero hac de re certior fierem, eandem initio adhibui methodum, quae ad examen anguli = 31",586 inserviat. Cogitemus (Fig. V.) lineae xz puncta, per aequales orbiculos albos indicata, in linea recta et in distantis inter se proxime iisdem esse depicta. Si distantia angularis xz major quam 64", tum $2U = xz$ per micrometrum et recte mensuratur i. e. sine errore constanti, et facillime, si filum micrometri fixum B (p. XIII) in orbiculum intermedium y , et filum A primum in x deinde in z ducitur. Supponamus jam etiam subdivisiones eadem methodo mensurari, quae in stellis adhibetur duplicibus, ita ut, filo immobili B in 1 locato, filum A transeat a 0 ad 2, dein, filo B in 3 locato, A transeat a 2 ad 4 et sic porro. Si sunt $2n$ inter disculos intervalla, n accipimus distantias duplices $2u, 2u', 2u'' \dots$, proxime inter se aequales. Apparet, si in mensura distantiae u per micrometrum filare perfecta error committitur = c , aequationem evadere:

$$\sum 2u + 2nc = 2U;$$

$$c = \frac{2U - \sum 2u}{2n}.$$

Maxime opportuna haec est methodus ad errores constantes c inveniendos, cum nil aliud supponat, nisi ut singulorum orbiculorum centra sint in linea recta, cui conditioni ad unguem responderi potest. Ipsius revolutionis cochleae cognitio tantum approximata requiritur; cujus etiam inaequalitates prorsus eliminantur, si mensurae $2u, 2u' \dots$ continuo in proximis cochleae partibus instituuntur, unde $\sum 2u$ iisdem cochleae meatibus mensuratur, qui ad $2U$ definiendum inserviunt. Exemplo rem illustrabo. Die 31. Maji 1834 pertica lignea erat exposita in distantia 1017 orgyiarum Par. a lente objectiva tubi. In superficie perticae erant orbiculi 13 diametri apparentis = 1",09, qui 12 formabant distantias aequales. Distantia linearis erat 3,0 pollicum inter singulorum discorum centra, quae angulo 8",01 respondet. Inter x et z ita est observatum:

$$\text{Filo } B \text{ in puncto } 6 \left\{ \begin{array}{l} A \text{ in } 0, l = 35',113; \\ A \text{ in } 12, \lambda = 41,413. \\ \hline 2U = 6,300. \end{array} \right.$$

Inter bina puncta hae sunt mensurae:

puncta: 0 et 2	2 et 4	4 et 6	6 et 8	8 et 10	10 et 12
$l = 35',073$	$36',121$	$37',147$	$38',203$	$39',213$	$40',257$
$\lambda = 36,125$	$37,149$	$38,200$	$39,255$	$40,264$	$41,322$

$$\text{Hinc accipitur: } 2u = 1',052$$

$$2u' = 1,028$$

$$2u'' = 1,053$$

$$2u''' = 1,052$$

$$2u'''' = 1,051$$

$$2u''''' = 1,065$$

$$\hline \Sigma 2u = 6,301;$$

$$c = \frac{6',300 - 6',301}{12} = -0',000083 = -0',0013 \text{ pro distantia } 8'',01.$$

Pro eadem distantia 8'',01 eadem via pluribus seriebus sequentes inveni correctiones:

1834. 25 Maji	$c = + 0',046$
26 —	$- 0,017$
26 —	$+ 0,045$
31 —	$- 0,001$
31 —	$- 0,020$
7 Jun.	$- 0,036$
10 —	$- 0,066$
13 —	$+ 0,029$

$$\text{Medium } c = - 0,0025 \text{ cum errore probab. } 0',0110.$$

Elucet correctionem pro distantia 8'' esse prorsus nullam, quae tamen, si verae forent distantiae Regiomontanae, ex tabula illa comparationis = - 0',253 fuisset.

Eadem via etiam distantias minores tractare conatus sum. Sed experientia mox indicabat, si nimis vicini erant in serie orbiculi, perturbationem aliquam oriri iudicii, de sectione perfecta orbiculorum binorum proximorum a filis ferendi, ex splendore discorum utrimque juxta sitorum. Haec iudicii turbatio in distantia centrali 1'',33 inter orbiculos diametri 0'',88, inter quorum peripherias itaque intervallum erat 0'',55 solum, exstitit tanta, ut mensuras amplius perficere non valerem, cum ex multitudine punctorum utrimque juxta sitorum confusio prodiret, quae omnes conatus ad bina puncta proxima tuto filis bipartienda irritos reddebat. Successit mihi itaque solum series orbiculorum in distantiiis 4'',0, 2'',67 et 2'',08 dispositorum mensurare. Pro distantia vero 1'',33, postquam discos omnes, duobus exceptis, obleveram, inter duo puncta residua mensura sine difficultate perfici poterat, quae aequae ad c cognoscendum valebat, cum ex lineari inter centra distantia angulus omni certitudine deduci posset. Sequentes jam accepi pro variis distantiiis correctiones ex omnibus mensuris exeunte anno 1833 et mensibus Majo et Junio 1834 per amplificationes 480 et 600 institutis:

Distantia angularis inter centra orbiculorum	Correctio mediae distantiae mensurae, seu c	Numerus dierum observationis	Error probabilis in c
1",33	— 0",035	7	0",009
2, 08	+ 0, 096	11	0, 006
2, 67	+ 0, 121	5	0, 014
4, 00	+ 0, 089	8	0, 008
8, 01	— 0, 003	7	0, 011

Nulla vero modo repertae hae correctiones sunt eae, quas ad distantias nostras inter stellas duplices observatas adhibere possimus. Si enim iudicii perturbatio locum habere potest ex juxtapositione multorum discolorum splendentium, tales ad comparisonem eligamus stellas duplices artificiales opus est, in quibus haec turbatio locum non habet, cum in coelo non inveniatur. In distantia 1",33 inter orbiculos solitarios observavi, et correctio exstitit minima et signi oppositi ei, quam mensurae exhibuerant inter orbiculorum series in distantis jam vix majoribus perfectae. Haec una experientia perturbationem iudicii tuto arguere videtur, quam in distantia 8" evanescere facili eo explicatur, quod pro magnis amplificationibus proximorum punctorum intervallum majus erat, quam quod iudicio noceret. Si porro ex omnibus quinque illis c , neglecta distantiarum diversitate, medium quaerimus pretium, evadit:

$$c = + 0",054.$$

Hoc longe abest ab ea correctione, quam differentiae inter distantias Regiomontanas et Dorpatenses indicant, quippe quae ex tabula p. CXLI pro quinque illis distantis foret + 0",110, + 0",158, + 0",188, + 0",239 et + 0",253, seu pro medio $c = + 0",190$. Docemur itaque experimentis supra allatis, non quae sint mensuris per tubum Fraunhoferianum perfectis correctiones addendae, sed potius quales producantur iudicii errores ex proximitate discolorum lucidorum utrimque ab iis, inter quos mensura perfici debet, conspicuorum. Eo denique jam ex his experimentis ducimur, si c pro distantis 1",33 et 8",01 spectamus, correctiones distantiarum tubo Fraunhoferiano in coelo observatarum vel perexiguas negativas, vel nullas esse.

Sed res erat ulterius examinanda et novis experimentis indubiis decernenda. Nuperrime itaque aliam mensurarum seriem ad finem perduxim, cujus jam expositio sequetur. Elegi locum in distantia 783,0 orgyiarum Par. a tubi in ipsum directi lente objectiva jacentem in colle, in quo tabulatum ex trabibus struebatur, cui facili negotio tabulae lignae ita figerentur, ut planum obversum in directionem tubi esset normale. Elevatio et collis et ipsius speculae grave obtulit emolumentum, quod linea visus in distantia 120 pedum supra vallem interjacentem distabat, unda mira exstitit horis pomeridianis faventibus imaginum in tabula conspicuarum tranquillitas et acies. Methodo enim supra descripta in tabula lignea nigra varios disposui orbiculos albos, ita ut bini inter se comparandi a ceteris idoneis distarent intervallis. Lineae inter binorum orbiculorum centra cogitandae erant inter se parallelae et tractum sequebantur fibrarum lignearum, unde in distantis inter puncta relativis constantia proveniebat maxima. Tabula orbiculorum paria offerebat 10, quae per A ad K designo, praeterea orbiculos paulo majores duos X et Z in extremitatibus tabulae ita jacentes, ut puncta reliqua includerent. Repetitis mensuris, opera circini micrometrici perticati in temperatura + 13°,0 R. perfectis, distantiam inter X et Z inveni $U = 61,9125$ poll. Par. = 742,95 lin. Par. ex orgyia ferrea Lennelli. In

eadem porro temperatura eodemque tempore reliquas mensuras lineares institui, unde distantiarum linearium $A \dots K$ ratio ad U summa fide cognoscebatur. Mensurae distantiarum angularium in tabula exposita conspectarum tubo magno instituebantur pluribus diebus in horis pomeridianis, in quibus temperatura media erat $+ 10^{\circ},5 R.$, cum vix inter $+ 10^{\circ},0$ et $+ 11^{\circ},0$ vacillaret. In hac temperatura est cochleae revolutio $r = 15^{\circ},3092$, p. 254, pro radiis lucis parallelis. Hinc pro radiis ex distantia 783,0 orgyiarum $= 56376$ pollicum divergentibus, cum sit distantia focalis lentis objectivae $= 161,41$ poll., p. XI, prodit $r = 15^{\circ},2655$. Inter puncta extrema XZ haec jam distantia angularis est micrometrica observata:

	1556.	5 Oct.	4 Oct.	6 Oct.	7 Oct.	10 Oct.
$2U =$		29',670	29',668	29',690	29',675	29',713;
$U =$		226",46	226",45	226",62	226",50	226",79.

Medium $U = 226^{\circ},564$ cum errore probabili $0^{\circ},053$.

Sequens jam schema distantias dat inter varia orbiculorum paria mensuratas et lineares, et angulares. Postremae sunt calculatae ex rationibus distantiarum linearium ad distantiam $U = 742,95$ lin., cui respondet angulus supra cognitus $= 226^{\circ},564$.

Bina puncta	Distantiae lineares ex mensura			Distantiae angulares calculatae
	Struvi	Maximovi	mediae	
	<i>lin.</i>	<i>lin.</i>	<i>lin.</i>	
<i>A</i>	3,192	3,204	3,198	0",975
<i>B</i>	4,902	4,927	4,914	1,498
<i>C</i>	6,775	6,785	6,780	2,067
<i>D</i>	10,245	10,219	10,232	3,120
<i>E</i>	13,001	12,937	12,969	3,955
<i>F</i>	14,208	14,190	14,199	4,330
<i>G</i>	20,367	20,350	20,358	6,208
<i>H</i>	25,908	25,955	25,932	7,908
<i>I</i>	39,620	39,670	39,645	12,089
<i>K</i>	53,960	53,920	53,940	16,448

Si pro distantis linearibus utriusque metientis pondus est idem, ex differentiis omnibus prodit error probabilis mediae distantiae in quovis pari $= 0^{\circ},0193$ lin. $= 0^{\circ},0059$; unde elucet distantiarum angularium calculatarum incertitudines esse minores quam $0^{\circ},01$. Mensurae vero lineares ita instituebantur, ut inter binos orbiculos et minima et maxima peripheriarum caperentur intervalla, summa diametrorum differentia. Cum vero diametri essent utriusque orbiculi aequales, pretia earum et linearia et angularia ita innotuerunt:

	<i>lin.</i>		Medium
pro <i>A</i> et <i>B</i>	1,968 $= 0^{\circ},600$ Struve	}	0",604;
	1,993 $= 0,608$ Maximov		
pro <i>C</i> ad <i>K</i>	2,984 $= 0,910$ Struve	}	0,908.
	2,972 $= 0,906$ Maximov		

Tabula lignea jam ita exponebatur, ut puncta omnia aut in linea proxime verticali aut in horizontali viderentur. Mensurae vero instituebatur summa conscientia ad modum observationum inter stellas duplices instituendarum, tum inter puncta extrema XZ , tum inter varia paria A ad K . Mensuras inter X et Z jam supra dedi. In orbiculorum A ad K pari quovis observatio jam ita perficiebatur, ut in quavis serie angulus in tribus mensuraretur partibus cochleae contiguus. Vide p. XXIX. Ita exempli gratia distantiam B die 3. Octobris ita emensus sum:

$$\begin{aligned}
 l &= 37,994 & 38,201 & 38,401 \\
 \lambda &= 38,199 & 38,411 & 38,602 \\
 \hline
 2B &= 0,205 & 0,210 & 0,201 \\
 B &= 1,565 & 1,603 & 1,534, \text{ medium } B = 1,567.
 \end{aligned}$$

Unumquodque l et λ hic pendet ex singula filorum in orbiculos directione.

Sequens synopsis omnes exhibet distantias angulares inter paria orbiculorum A ad K observatas, in quibus observandis pro variis aeris conditionibus ocularibus usus sum 800, 600 seu 480 vices amplificantiibus:

	1856	A	B	C	D	E	F	G	H	I	K
1	3 Oct	0",969	1",567	2",183	3",069	4",014	4",275	6",198	7",969	12",167	16",525
2	4 "	1,000	1,587	2,152	3,198	3,985	4,304	6,182	7,930	12,037	16,540
3	6 "	0,992	1,501	2,158	3,119	3,967	4,384	6,178	7,894	12,097	16,491
4	6 "	1,007	1,510	2,112	3,150	3,967	4,394	6,209	7,978	12,135	16,477
5	6 "	0,992	1,548								
6	7 "	0,992	1,511	2,130	3,152	3,953	4,388	6,182	7,936	12,088	16,462
7	7 "	0,962	1,466	2,076	3,121	3,974	4,334	6,220	7,907	12,096	16,447
8	10 "		1,518	2,111	3,125	3,956	4,315	6,212	7,873	12,096	16,504
9	10 "	0,991	1,456	2,066	3,056	3,857		6,044	7,851	11,989	16,404

Ex his 9 seriibus sunt series 3 ad 8 eae, quae maxima fide sunt dignae, quippe quae in conditionibus magis secundis sint institutae quam 1, 2 et 9. Illis itaque pondus 2, his pondus = 1 assigno, et ita medias sequentes deduco distantias observatas, quas jam cum veris distantiiis hic comparo:

	Media distantia observata	Error prob. distant. observatae	Distantia vera	Correctio distantiae observatae
A	0",988	0",005	0",975	-0",013
B	1,515	0,010	1,498	-0,017
C	2,121	0,013	2,067	-0,054
D	3,127	0,011	3,120	-0,007
E	3,961	0,009	3,955	-0,006
F	4,351	0,015	4,330	-0,021
G	6,194	0,013	6,208	+0,014
H	7,917	0,013	7,908	-0,009
I	12,094	0,013	12,089	-0,005
K	16,479	0,013	16,448	-0,031

Correctio media = - 0,0149;
cum errore probabili 0,0037.

Error probabilis singulae distantiae schematis novem serierum est 0",031, quam ex tribus observationibus duplicibus pendere supra dixi.

Orbiculorum in F conjunctorum distantia erat proprie in serie distantiarum increscentium supervacanea. Sed juvabat dijudicare quanam fide exigua inter duas distantias E et F differentia singulis cognosceretur diebus. Septem sunt differentiae sequentes, si ejusdem seriei E et F comparamus:

CXLVII

$F - E =$	Diff. a med.
0",261	- 0",106
0, 319	- 0, 048
0, 417	+ 0, 050
0, 427	+ 0, 060
0, 435	+ 0, 068
0, 360	- 0, 007
0, 359	- 0, 008

Medium 0, 367

Vera differentia 0, 375

Error mensurae 0, 008.

His vero experientiis alias etiam addidi. Cum enim stellae ficticiae hucusque in positione aut verticali aut horizontali essent observatae, intererat mensuras adicere inter orbiculos oblique compositos. Nova ideo in secunda tabula lineae construxi discolorum paria tria diametri apparentis = 0",604:

	Distantia linearis	Distantia angularis	Directio cum linea verticali
<i>L</i>	7,50 lin.	2",287	90°
<i>M</i>	7,55 „	2, 302	135
<i>N</i>	7,82 „	2, 384	45

Mensuras harum distantiarum micrometricas, per amplificationes 800, 600 et 480 institutas, sequens exhibet schema:

	1836	<i>L</i>	<i>M</i>	<i>N</i>
1	Oct. 22	2",252	2",354	2",438
2	„ 24	2, 219	2, 375	2, 375
3	„ 24	2, 260	2, 344	2, 367
4	„ 24	2, 290	2, 367	2, 413
5	„ 31	2, 268	2, 283	2, 349

Ex quibus mensuris haec prodit comparatio:

	Media distantia observata	Error prob. distantiae observatae	Distantia vera	Correctio distantiae observatae
<i>L</i>	2",258	0",008	2",287	+ 0",029
<i>M</i>	2, 345	0, 012	2, 302	- 0, 043
<i>N</i>	2, 388	0, 014	2, 384	- 0, 004

Correctio media = - 0, 0060;
cum errore probabili 0, 0065.

Postremo vero loco etiam distantiae inter stellae ficticias diversae magnitudinis erant observandae. Paria earum tria in tabula tertia disposui in situ verticali:

	Diametri apparentes	Distantia linearis	Distantia angularis	Splendores relativi
<i>O</i>	0",60. 0",30	6,97 lin.	2",125	4,0 : 1
<i>P</i>	0, 91. 0, 30	13,66 „	4, 165	9,2 : 1
<i>Q</i>	0, 91. 0, 42	19,86 „	6, 055	4,7 : 1

Mensurae parium horum inaequalium sunt factae sequentes:

	1856	O	P	Q
1	4 Oct.			6",037
2	17 "		4",200	6,086
3	18 "	2",062	4,138	6,100
4	22 "	2,092	4,115	6,108
5	22 "	2,000	4,184	6,086

Hinc jam prodit comparatio:

	Media distantia observata	Error prob. distantiae observatae	Distantia vera	Correctio distantiae observatae
O	2" 051	0",017	2",125	+ 0",074
P	4,159	0,015	4,165	+ 0,006
Q	6,083	0,013	6,055	- 0,028

Correctio media = + 0,0173;
cum errore probabili 0,0087.

Ex omnibus his experimentis sequens mihi deducenda videtur summa:

in distantiis angularibus micrometro filari tubi nostri Fraunhoferiani mensuratis etiam pro stellis duplicibus, quarum intervallum est a 1" ad 16", error constans est proxime nullus, sive stellae sint in horizontali positione sive in verticali vel in obliqua; neque refert, utrum diametri stellarum sint aequales an inaequales. Si enim ex mensuris omnium 16 parium stellarum duplicium ficticiarum media quaeritur correctio, evadit = - 0",0073 = - $\frac{1}{17}$ ", quantitas negativa, non positiva, sed tam exigua, ut pro nulla sit habenda. Distantiae itaque in hoc mensurarum opere oblatae proxime verae sunt, i. e. iis solum obnoxiae erroribus, qui ex fortuitis caussis provenerunt. quorumque momentum in capite septimo inde a pagina LV est examinatum

Cum vero distantiae Dorpatenses sint verae, distantias Regiomontanas correctione aliqua egere necessario sequitur. Fateor me tanta teneri laborum a summo Besselio perfectorum admiratione, ut, cum inexpectatas differentias constantes, quamvis parvas, inter utriusque distantias comperirem fiducia mearum observationum valde labefactaretur. Id mihi vero proposui, ut rem sine ullo examinarem praecipio. Neque sententiam pronuntiatam proferre ausus essem, nisi ratum mihi esset eam experimentis niti indubiis. Audacius vero foret, si explicationem differentiae inventae inter mensuras micrometro nostro filari et heliometro institutas hoc loco proferrem, cum nulla mihi sit hujus instrumenti consuetudo. Liceat interim animadversionem hic proponere, in quam ipsa superior me induxit disquisitio. Ex sectione lentis objectivae imperfectio aliqua oritur imaginum in mensuris heliometricis, quam vero constanti aliquo sensu in distantias agere minime probabile videtur. At vero in distantiis mensurandis ex duplicatione imaginum compositio prodit quatuor discorum lucidorum, inter quae aequalia judicanda sunt intervalla. Hoc iudicium admirabili perfici certitudine et ex erroribus mediis exiguis mensurarum Besselianarum vindicatur, et ipse Regiomonti expertus sum. Sed ex tribus illis intervallis sunt duo exteriora constantia, tertium intermedium cochlea moderatur

heliometrica. Quaeri veri potest nonne ex actione imaginum lucidarum juxta apparentium judicium de medio intervallo ita afficiatur, ut, cum vere aequale sit, minus habeatur. Unde sequeretur intervallum, cum exterioribus aequale judicaretur, iis majus esse, i. e. majus etiam per heliometrum indicari.

B. EXAMINATIO ANGULORUM SEU DIRECTIONUM.

Non supervacaneum duxi etiam in directionum certitudinem opera stellarum duplicium ficticiarum inquirere. Hunc in finem orbiculos albos novos in tabulis ita disposui, ut duo extremi, *X* et *Z*, magnam offerrent distantiam = 200" fere, dum reliqui bini variis viderentur in distantis parvis et directionibus. Angulos inter lineas binorum orbiculorum centra jungentes et lineam *XZ* veros in ipsa tabula eo construxi, quod opera regulae perfecte directae ad binos orbiculos utrimque lineas ducebam tangentes ad intersectionem cum *XZ* usque prolongatas. Inter angulorum ita delineatorum latera opera circini metrici perticati chordas mensuravi, ex quibus angulorum pretia numeralia calculabantur. Angulus medius lineae centrali respondebat. Tabulae lignae mihi fuere tres, in quarum duabus orbiculi erant depicti bini aequalis diametri, in tertia vero discolorum paria diametrorum inaequalium. Quibus jam in distantia 783 orgyiarum recte et ita expositis, ut linea *XZ* esset proxime verticalis, directiones primum punctorum *XZ*, tum reliquorum parium per tubi nostri micrometrum observabantur amplificationibus 480 et 600. Directionum comparatio angulos dabat observatos seu apparentes.

Differentiae inter angulos veros et apparentes errores manifestabant in directionibus stellarum vicinarum observatis commissos, cum aberrationes in observanda directione *XZ*, quae ob magnam distantiam vix 2' attingebant, nullius pro reliquis essent momenti. Optimum vero duxi directiones omnes ad verticem referre, quod facillimum erat, cum directio verticalis in micrometro nota esset ex motu diurno *T* (p. XVIII) et ex tubi angulo horario et declinatione in circulis lectis. In sequenti itaque disquisitione angulos *Q* a directione verticis = 0 incipio sinistrorsum ad 360° pergens i. e. in ea directione, quae in angulis *P* est usitata (p. XVIII). In schemate jam angulos veros cum apparentibus ita componam, ut compendii caussa medius tantum exhibeatur angulus ex pluribus observationibus, quarum numerus est adjectus. Observationes vero sunt factae mensibus Junio et Octobri anni 1836.

	Diametri apparentes	Distantia angularis <i>e</i>	Angulus ve- rus <i>Q'</i>	Angulus observatus <i>Q</i>	$Q' - Q =$ <i>dQ</i>	<i>e. sin dQ</i>	Numerus observatio- num
1) <i>Directio verticalis.</i>							
1	0",60 . 0',60	0",97	0° 45'	0° 0'	+ 0° 45'	+ 0" 013	6
2	0,89 . 0,89	3,03	3 10	3 29	- 0 19	- 0,017	2
3	0,60 . 0,60	3,20	359 54	0 12	- 0 18	- 0,017	5
4	0,91 . 0,91	4,27	359 58	0 3	- 0 5	- 0,006	4
5	0,89 . 0,89	6,01	4 40	4 41	- 0 1	- 0,002	2
6	0,91 . 0,91	8,66	1 32	1 25	+ 0 7	+ 0,017	4
7	0,89 . 0,89	11,80	4 18	4 17	+ 0 1	+ 0,003	2
8	0,91 . 0,91	21,95	359 36	359 41	- 0 5	- 0,031	4
9	0,89 . 0,45	1,68	2 25	3 13	- 0 48	- 0,023	3
10	0,89 . 0,45	1,88	185 7	184 19	+ 0 48	+ 0,026	3

	Diametri apparentes	Distantia angularis e	Angulus verus Q'	Angulus observatus Q	$Q' - Q =$ dQ	$e \cdot \sin dQ$	Numerus observatio- num
2) <i>Directio horizontalis.</i>							
11	0",60 . 0",60	2",29	90° 54'	91° 9'	- 0° 15'	- 0",010	5
12	0,89 . 0,89	3,04	91 29	92 11	- 0 42	- 0,037	2
13	0,91 . 0,91	4,27	91 12	91 36	- 0 24	- 0,028	4
14	0,91 . 0,91	8,66	89 31	89 42	- 0 11	- 0,027	4
15	0,89 . 0,45	1,65	92 1	93 19	- 1 18	- 0,036	2
16	0,89 . 0,45	1,67	272 4	273 14	- 1 10	- 0,033	2
3) <i>Directio obliqua.</i>							
17	0,60 . 0,60	2,38	40 28	39 32	+ 0 56	+ 0,039	5
18	0,91 . 0,91	4,27	44 21	43 50	+ 0 31	+ 0,039	4
19	0,91 . 0,91	8,66	45 24	44 55	+ 0 29	+ 0,072	4
20	0,89 . 0,45	1,67	49 25	47 37	+ 1 48	+ 0,052	3
21	0,89 . 0,45	1,66	227 28	227 11	+ 0 17	+ 0,008	2
22	0,60 . 0,60	2,30	129 36	130 52	- 1 16	- 0,051	5
23	0,91 . 0,91	4,27	133 47	134 50	- 1 3	- 0,078	4
24	0,91 . 0,91	8,66	135 2	135 40	- 0 38	- 0,070	4
25	0,89 . 0,45	1,72	136 16	137 47	- 1 31	- 0,045	2
26	0,89 . 0,45	1,64	319 13	320 10	- 0 57	- 0,027	4

Synopsi huic nonnullas subjungo sequelas et adnotationes, quae partim etiam ad distantias spectant.

1) Ex quadratis omnium $e \cdot \sin dQ$ in 26 directionibus error probabilis directionis, per medium ex 3,5 observationibus pendens, deducitur $\approx \text{arc. sin } \frac{0'',025}{e}$, stellis inaequalibus et aequalibus promiscue adhibitis. Si vero sola spectamus octo stellarum inaequalium paria, evadit error $\approx \text{arc. sin } \frac{0'',025}{e}$, non major. Fortasse stellae inaequales sunt observatae in conditione aëris paulo meliore. Id vero sequitur stellarum inaequalium directiones fide observari vix minori quam aequalium. Probatur hinc convergentiam linearum orbiculos extrinsecus tangentium iudicium non turbare, quae tamen in his stellis erat tanta, ut linea centralis cum tangentibus angulum $\approx 15^\circ,2$ faceret, seu tangentes inter se angulo $\approx 30^\circ,3$ different.

2) Maxima cum fide observatae sunt eae directiones, quae sunt verticali proximae, certius etiam quam horizontales. Aliquanto minor est fides directionum obliquarum. Invenimus enim pro singula stella ficticia observata:

in directione verticali	errorem directionis probabilem	0",012;
" " horizontali	" " " "	0,020;
" " obliqua	" " " "	0,035.

Idem jam diu animadverteram in stellis coeli observandis. Consentiant cum his ea, quae dixit Dawesius in Actis soc. reg. astr. Lond. VIII. p. 63. Explicatio experientiae hujus ex oculi indole et consuetudine in promptu esse videtur.

3) In directionibus verticalibus nullum est vestigium erroris constantis in iudicio ferendo. Signa in dQ sunt promiscue + et —. In directionibus horizontalibus exigua videtur aberratio constans cum omnes dQ sint negativae. Sed incertus sum, nonne hic signorum consensus sit fortuitus, cum ipsae quantitates $e. \sin dQ$ sint valde exiguae. Aliter vero res se habere videtur in directionibus obliquis proxime ad 45° seu 225° et ad 135° seu 315° accedentibus. In illis omnes dQ fuere +, in his omnes —. Est itaque, ni fallor, saltem mihi, proclivitas aliqua directiones obliquas ita interdum iudicandi, ut observatae ad verticalem propius accedant veris. Si observatae directiones Q correctionibus egent $= c$, ea ipsarum debet esse natura ut in directionibus 180° diversis idem fiat c , seu ut:

$$e. \sin c = m. \cos 2Q + n. \sin 2Q.$$

Si coefficientes m et n pro omnibus distantis aequales supponimus, ex 26 directionibus supra allatis sequeretur:

$$e. \sin c = + 0''.007. \cos 2Q + 0''.048. \sin 2Q;$$

quae formula singulis observatis $e. \sin dQ$ ita respondet ut, dum $\Sigma (e. \sin dQ)^2 = 0,0362$ evenierit, $\Sigma (e. \sin dQ - e. \sin c)^2 = 0,0103$ fiat i. e. ad 0,28 prioris descendat.

4) Multum vero abest quam ut censeam hac formula utendum esse ad stellarum duplicium in coelo observatarum angulos corrigendos. Ipsa enim correctio, cum ad errorem fortuitum directionum mediarum tribus diebus observatarum vix accedat, p. LVIII, est tam exigua, ut eam pluribus experienciis, iisque variatis, fundare necesse sit. Maxime vero mihi verisimile est phaenomenon indicatum in iis tantum stellis occurrere, quae ad directiones observandas non filo uno secantur, sed inter fila bina ponuntur mediae. In hoc enim casu directionem non tam mensuramus quam taxamus, cum lineam centra stellarum jungentem, quam animo prolongamus, cum lineis a filis indicatis comparemus. In hoc ipso prolongationis iudicio error committi posse videtur. Sed ante omnia quaeri debet, num talis correctiuncula observationibus stellarum etiam coelestium indicetur. In universum observationes in angulis horariis stellarum borealium et orientalibus et occidentalibus institutae eum angulorum obtulerunt consensum, ut nil mihi desiderandum relictum sit. Ita postremis demum temporibus de industria stellas η Coronae, σ Coronae, ζ Herculis observavi et 2 ad 3 horas ante et post culminationem, angulosque accepi mirum in modum convenientes. Ex altera parte sunt stellae nonnullae, quae vestigium offerant correctionis indicatae, quarum exemplum maxime conspicuum est stella 2120 = Herculis 210, p. 76 et App. III., cuius anguli ex simili correctione melius inter se convenirent. Sufficiat nunc astronomorum attentionem in hoc phaenomenon direxisse. Accuratio ipsius cognitio ex repetitis mensuris ejusdem stellae utrimque a meridiano non variis anni tempestatibus sed eodem die institutis est petenda. Maxime idoneae sunt eae stellae boreales, quarum P proxime est $= 0^\circ$ seu $= 180^\circ$, cum in iis c utrimque a meridiano sensu agat opposito.

5) Experientia saepe repetita me docuit iudicium de prolongatione lineae centralis inter stellas vicinas conspicue mutari ex situ oculi mutato. Hinc mihi ea exiit lex, summa diligentia attendendum esse ut in observatione et oculi axis cum axi telescopii conveniat, et directio capitis sit perpendicularis. Primis temporibus hac de re non cogitaveram, sed observationes stellae ϵ Bootis me in eam duxerunt.

Anguli enim hujus stellae ita initio inter se discrepare videbantur, ut autumnales essent paululo minores vernalibus. Cogitabam non de parallaxi, sed de refractionis aut aberrationis inter utrasque stellas differentia. Die vero 4. Octobris 1828 in legem hic pronunciatam incidi, et inde ex hoc tempore summus exstitit et in hac stella angulorum consensus.

- 6) Non tamen supervacaneum duxi examinare, nonne etiam refractionis eò in relationem agat stellarum, quod in stellis diverso colore tinctis non sit fortasse eadem. Observavi ideo ϵ Bootis in magnis angulis horariis et occidentalibus et orientalibus, in quibus refractionis eam, quae in culminatione = $34''$ locum habet, ter ad octies superabat. Observationes hic singulas exponam cum in textu p. 49 non inveniantur, quippe quae in conditionibus insolitis sint institutae.

 ϵ BOOTIS.

Epocha	Amplit.	Tempus sider.	Angulus horar.	Distant. a vertice	Refraction	Angulus directionis cum vertic.	Distantia observata	Angulus observatus
1) <i>Observationes in angulis horariis orientalibus.</i>								
1827,28	600*	8 ^h 25'	6 ^h 12'	68°, 1	142"	355°	2", 60	323°, 5
1827,29	480*	7 15	7 22	76, 4	237	352	2, 53	321, 7
1827,29	480*	7 55	6 42	71, 7	172	354	2, 62	322, 3
1828,30	600*	9 35	5 2	59, 2	96	357	2, 63	323, 2
1828,71	320	8 30	6 7	67, 5	138	355	2, 57	322, 8
2) <i>Observationes in angulis horariis occidentalibus.</i>								
1828,72	480	21 42	7 5	74, 5	204	289		318, 5
1836,99	480*	21 55	7 18	75, 9	226	290		320, 5
1836,99	480*	22 15	7 38	78, 2	268	292		321, 6

Jam videmus pro 1827,77 et medio angulo horario orientali = $6^h 17'$, in quo erat refractionis = $157''$, ex mensuris prodire distantiam = $2'', 59$ et angulum = $322^\circ, 6$. Pro eadem proxime epocha observationes meridiano utrimque vicinae dederant $2'', 68$ et $321^\circ, 1$, p. 49. Differentiae $- 0'', 09$ et $+ 1^\circ, 5 = 0'', 07$ sunt valde exiguae. Sed animadvertamus angulum cum verticali fuisse = 355° , seu stellas proxime in circulo verticali apparuisse. Si intererat inter utriusque stellae refractiones ex colorum diversitate, apparet totum effectum in distantiam cadere debuisse, quae ob colorem comitis caeruleum, dum primaria est flava, major vera debuisset evadere. Invenimus vero observatione distantiam paululo minorem, seu potius aequalem. Angulus directionis in hac positione a refractione est immunis. In observationibus occidentalibus major comitis refractionis angulum auget cum directio stellarum proxima esset horizontali. Ex tribus vero mensuris invenimus pro 1834,23 angulum = $320^\circ, 2$ pro medio angulo horario $7^h 20'$, cui refractionis = $233''$ convenit, quae est septies major quam refractionis stellae culminantis. Pro eadem epocha observationes meridiano vicinae dederunt $P = 320^\circ, 6$, vide p. 49 et App. III., prorsus eundem, nec ullo modo minorem. Sequitur ex his omnibus inter refractiones stellae majoris egregie flavae et comitis egregie caeruleae nullum esse discrimen peculiare, quod in relationem agat apparentem.

- 7) Ratione probabili suspicamur, si stellis duplicibus diversi coloris eadem est refractionis, eandem etiam iis convenire aberrationis constantem, nec angulos positionis et distantias variis anni temporibus observatos ex aberratione inter se differre.

Fortasse hoc valet tantum de stellis physice duplicibus. Si enim compositio stellarum est mere optica, differentia aberrationis facilius accipienda videtur, cum lumen alterius stellae ex distantia longe majori profectum sit. Exemplum differentiae in aberratione obtulisse videntur α Ursae minoris et comes, vide p. 246.

C. EXAMINATIO MENSURARUM DE STELLIS VICINISSIMIS I. E. INTRA 0",8 DISTANTIBUS INSTITUTARUM.

1) DISTANTIAE STELLARUM VICINISSIMARUM.

Pag. XXXI exposui minimam esse distantiam = 0",7, quam utraque stella dissecta mensurare valebam. Minimae itaque distantiae, ad 0",8 usque, non mensuratae proprie, sed potius taxatae sunt per methodos ibi descriptas. In his taxationibus errores fortuitos non majores commissos esse, quam in ipsis mensuris distantiarum inter 1" et 2", examina probant, quae p. LVIII et p. 280 sunt absoluta. Nihilominus minor est harum minimarum distantiarum fides. In taxationibus enim ex parvis differentiis constantia potius probatur iudicii, quam veritas, praecipue si spatia comparanda dissimiliter terminata videntur. Ut itaque et de minimarum distantiarum fide vera, non solum apparenti, quodammodo certior fierem, novas experientias suscepi stellarum duplicium ficticiarum, in distantiiis angularibus a 0",22 ad 0",81 methodis supra indicatis depictarum. Ita edoctus sum duas stellulas diametri 0",30, si centra earum 0",22 tantum inter se distant, indubie formam offerre elongatam, cujus directio certe mensurari potest. Stellulis ita dispositis, orbiculus alter alterius partem jam obtegit, et in figura oblonga diametros major est 0",52, dum minor = 0",30. Iisdem stellis ita vero dispositis, ut centra 0",385 et peripheriae 0",085 distent, in telescopio nostro stellam conspicimus duplicem distincte sejunctam. Id jam curavi, ut stellae ficticiae exponerentur, variarum et diametrorum et directionum, mihi prorsus incognitae, ne ullo praepudicio in taxationibus distantiarum turbarer. Unaquaeque stella singula tantum occasione observata est, vel mense Junio 1834 vel Novembri 1836. Sequens jam schema omnium distantiarum taxationes exhibet cum veris distantiiis, quae ex dimensionibus linearibus constituebantur, comparatas, adjectis binarum stellarum diametris apparentibus.

	Diametri apparentes	Distantia vera	Distantia taxata	Correctio di- stantiae taxatae
1	0",42 . 0",27	0",42	0",30	+ 0",12
2	0, 27 . 0, 27	0, 45	0, 35	+ 0,10
3	0, 30 . 0, 27	0, 47	0, 30	+ 0,17
4	0, 45 . 0, 42	0, 48	0, 32	+ 0,16
5	0, 44 . 0, 44	0, 50	0, 46	+ 0,04
6	0, 45 . 0, 40	0, 52	0, 43	+ 0,09
7	0, 45 . 0, 45	0, 54	0, 35	+ 0,19
8	0, 45 . 0, 27	0, 55	0, 40	+ 0,15
9	0, 40 . 0, 40	0, 60	0, 45	+ 0,15
10	0, 44 . 0, 44	0, 65	0, 79	- 0,14
11	0, 60 . 0, 24	0, 66	0, 55	+ 0,11
12	0 27 . 0, 27	0, 69	0, 55	+ 0,14
13	0, 67 . 0, 44	0, 72	0, 63	+ 0,09
14	0, 22 . 0, 22	0, 75	0, 63	+ 0,12
15	0, 45 . 0, 42	0, 76	0, 77	- 0,01
16	0, 89 . 0, 33	0, 81	0, 79	+ 0,02

Elucet ex hoc schemate taxatas stellarum ficticiarum duplicium distantias esse veris plerumque minores. Si ex octo prioribus, dein ex totidem posterioribus medias quaerimus correctiones, accipimus:

$$\begin{aligned} \text{pro } 0'',364 \text{ distantiae taxatae } c &= + 0'',128 \\ \text{pro } 0,645 \text{ " " " } &= + 0,060. \end{aligned}$$

Si adjicimus pro distantia = $1'',0$ correctionem esse $0'',00$ ex disquisitione priore, tabula construi potest correctionum distantiarum minorum quam $1''$ haec:

Distantia taxata	Correctio
0'',3	+ 0'',13
0,4	+ 0,12
0,5	+ 0,10
0,6	+ 0,07
0,7	+ 0,06
0,8	+ 0,03
0,9	+ 0,01
1,0	0,00

Cum mihi persuasum sit taxationes distantiarum in stellis coelestibus vicinissimis eodem modo perfectas esse, quam in ficticiis, nullus dubito, quin correctiunculis hujus tabulae sit utendum ad distantias minores quam $1''$ emendandas, nec ulla mihi videtur esse probabilitas in distantis ita correctis errores futuros, qui $0'',1$ valeant.

2) ANGULI SEU DIRECTIONES STELLARUM VICINISSIMARUM.

Si in stellis vicinissimis mensura distantiae difficultate laborat peculiari, directionum e contrario observatio admirandam offert certitudinem. Vidimus p. LVIII pro stellis inter $0''$ et $1''$ distantibus directionis singulo die mensuratae errorem fuisse probabilem $0'',031$, annis vero 1835 et 1836, cum electas stellas in optimis plerumque aeris conditionibus per maximas amplificationes observarem, adeo ad $0'',018$ decrevisse; vide p. 280. Ficticiarum stellarum duplicium opera jam et angulorum tubo nostro in minimis distantis observatorum certitudinem vindicare studui. Schema sequens angulos directionis observatos cum veris comparatos exhibet. Initium divisionis seu 0 hic est positum in directione verticis. Unaquaqueque directio singulo tantum die aut anni 1834 aut 1836 est constituta, adhibitis amplificationibus 600, 800 et 1000. Diametri stellarum adjectae monstrant stellarum magnitudines apparentes tum aequales, tum valde inaequales existisse. Schema secundum distantias centrales est ordinatum.

	Diametri apparentes	Distantia centrorum = e	Angulus cum verticali verus	Angulus observatus	Correctio anguli observati ΔQ	$e \cdot \sin \Delta Q$
1	0",30 . 0",30	0",22	12°,0	8°,2	+ 3°,8	+ 0",015
2	0, 22 . 0, 16	0, 26	81, 3	80, 2	+ 1, 1	+ 0, 005
3	0, 30 . 0, 22	0, 28	354, 0	356, 2	- 2, 2	- 0, 011
4	0, 30 . 0, 22	0, 33	47, 0	49, 1	- 2, 1	- 0, 012
5	0, 30 . 0, 30	0, 37	49, 0	52, 5	- 3, 5	- 0, 023
6	0, 30 . 0, 30	0, 38	12, 0	11, 3	+ 0, 7	+ 0, 005
7	0, 30 . 0, 30	0, 39	60, 0	57, 1	+ 2, 9	+ 0, 020
8	0, 42 . 0, 27	0, 42	317, 3	318, 1	- 0, 8	- 0, 006
9	0, 27 . 0, 27	0, 45	270, 2	265, 6	+ 4, 6	+ 0, 036
10	0, 30 . 0, 27	0, 47	326, 4	325, 7	+ 0, 7	+ 0, 006
11	0, 45 . 0, 42	0, 48	138, 5	140, 2	- 1, 7	- 0, 014
12	0, 44 . 0, 44	0, 50	151, 5	150, 5	+ 1, 0	+ 0, 009
13	0, 45 . 0, 40	0, 52	77, 0	77, 2	- 0, 2	- 0, 002
14	0, 45 . 0, 45	0, 54	150, 0	147, 9	+ 2, 1	+ 0, 020
15	0, 45 . 0, 27	0, 55	349, 0	350, 6	- 1, 6	- 0, 015
16	0, 44 . 0, 44	0, 56	341, 0	338, 4	+ 2, 6	+ 0, 025
17	0, 40 . 0, 40	0, 60	344, 8	349, 8	- 5, 0	- 0, 052
18	0, 44 . 0, 44	0, 65	345, 0	346, 6	- 1, 6	- 0, 018
19	0, 60 . 0, 24	0, 66	357, 5	355, 4	+ 2, 1	+ 0, 024
20	0, 27 . 0, 27	0, 69	49, 0	47, 9	+ 1, 1	+ 0, 013
21	0, 67 . 0, 44	0, 72	314, 4	312, 6	+ 1, 8	+ 0, 022
22	0, 22 . 0, 22	0, 75	19, 8	16, 7	+ 3, 1	+ 0, 041
23	0, 60 . 0, 27	0, 77	323, 8	326, 1	- 2, 3	- 0, 031
24	0, 45 . 0, 42	0, 77	84, 6	82, 6	+ 2, 0	+ 0, 027
25	0, 89 . 0, 33	0, 81	45, 5	42, 1	+ 3, 4	+ 0, 051

Ex postrema columna prodit errorem probabilem directionis in stellis his ficticiis singula occasione observatae esse : $g = \text{arc. sin } \frac{0'',017}{e} = \frac{69'}{e}$. Est itaque

pro distantia	Error probabilis anguli
0", 2	4° 55'
0, 4	2 27
0, 6	1 38
0, 8	1 13
1, 0	0 59

Vidimus supra p. CLI ex prioribus stellarum ficticiarum observationibus prodiisse proclivitatem aliquam directiones obliquas non prorsus recte iudicandi, ita ut omnes directiones observatae correctiuncula egere viderentur formae $m \cdot \cos 2Q + n \cdot \sin 2Q$, ubi ex ipsis mensuris $m = + 0'',007$, $n = + 0'',048$ evenit. Exploravi jam etiam has stellarum vicinissimarum observationes hoc respectu, et omnibus 25 observationibus secundum minimorum quadratorum theoriam tractatis, formulam accepi:

$$e \cdot \sin c = - 0'',0018 \cdot \cos 2Q + 0'',0082 \cdot \sin 2Q;$$

in qua coefficientes $m = - 0'',0018$ et $n = + 0'',0082$ sunt tam exigui, ut pro nullis possint haberi. Hinc jam id mihi deducendum videtur, proclivitatem illam directiones obliquas ad verticalem appropinquandi non esse constantem et in observationibus, quae sub conditionibus maxime secundis sunt institutae, penitus evanescere

Narravi p. V mihi inde ex mense Octobri anni 1832 in observationibus perficiendis socios fuisse, qui et dictatos numeros, quos ex micrometro legebam, conscriberent, aliisque auxiliis operationes juvarent. In textu plura inveniuntur exempla, me horum sociorum judicia de stellis difficillime duplicibus consuluisse, ipsosque mensurasse directionis angulos, quos meis angulis compararem. Inde ex mense Augusto 1835 hoc socii munere constanter functus est filius meus Otto. Credo non supervacaneum fore hoc loco comparationem angulorum nostrorum pluribus occasionibus simul cognitorum proponere, quos hic omnes afferre juvat, cum in textu tantum pars earum sit citata. Animadverto me id curasse, ut mensurae angulorum a socio sine ullo praejudicio patrentur. Postquam enim ego mensuram perfeceram, directionem filorum prorsus turbavi, quae socius deinde denuo collocabat. Quo facto ego indices ex micrometro legi, ne socius in iudicio turbaretur, cum meos numeros antea conscripsisset. Ita, dum observabat, nullam habebat notionem quatenus observati ab ipso anguli cum meis convenirent necne. Si hanc neglexissem cautelam, comparationem nullius momenti fuisse apparet, ex qua nunc vero certa prodit fidei angulorum comprobatio.

SYNOPSIS ANGULORUM A W. STRUVE ET O. STRUVE CONJUNCTIM OBSERVATORUM.

Numerus catalogi	Nomen stellae	Magnitudines	Distantia	Epocha	Amplif.	Angulus		$W - O = c$	$e. \sin c$
						W. Struvi	O. Struvi		
3123	ANONYMA	6 oblonga	0",18	1836,72	1000	288°,8	288°,4	+ 0°,4	+ 0",001
				1836,74	1000	302, 5	310, 5	- 8, 0	- 0, 025
1670	γ VIRGINIS	3,0 . 3,0	0, 26	1836,40	1000*	334, 6	336, 1	- 1, 5	- 0, 005
				1836,42	1000*	330, 4	341, 3	-10, 9	- 0, 049
1728	42 COMAE	6,0 . 6,0	0, 30	1836,40	1000*	191, 2	193, 7	- 2, 5	- 0, 012
				1836,41	1000*	191, 1	189, 2	+ 1, 9	+ 0, 010
				1836,42	1000*	188, 2	187, 8	+ 0, 4	+ 0, 002
1356	ω LEONIS	6,2 . 7,0	0, 32	1836,27	1000	357, 9	358, 8	- 0, 9	- 0, 005
				1836,28	800*	0, 4	358, 4	+ 2, 0	+ 0, 010
				1836,30	1000*	357, 9	2, 1	- 4, 2	- 0, 023
2737	ϵ EQUULEI	5,3 . 6,2	0, 41	1836,63	800	294, 4	299, 8	- 5, 4	0, 038
				1836,70	800	290, 2	290, 2	0, 0	0, 000
13	CEPHEI 318.	6,6 . 7,1	0, 43	1836,70	800	117, 6	122, 0	- 4, 4	- 0, 053
3062	ANONYMA	6,6 . 7,9	0, 45	1836,63	800	146, 2	146, 7	- 0, 5	- 0, 004
				1836,70	800	148, 1	149, 8	- 1, 7	- 0, 015
				1836,71	800	145, 6	152, 2	- 6, 6	- 0, 051
2262	τ OPHIUCHI	4,7 . 5,8	0, 35	1835,66	800*	193, 5	194, 3	- 0, 8	- 0, 005
				1835,71	1000*	196, 6	198, 4	- 1, 8	- 0, 014
				1836,64	800*	203, 3	204, 7	- 1, 4	- 0, 011
				1836,68	800*	200, 0	199, 0	+ 1, 0	+ 0, 008
				1836,70	800*	199, 2	201, 9	- 2, 7	- 0, 022
1937	η CORONAE	5,2 . 5,7	0, 56	1836,45	800*	85, 5	84, 6	+ 0, 9	+ 0, 009
				1836,52	800*	91, 3	90, 8	+ 0, 5	+ 0, 005
				1836,54	1000*	90, 0	89, 2	+ 0, 8	+ 0, 008
73	36 ANDROMED.	6,2 . 6,8	0, 87	1836,74	1000	321, 3	319, 1	+ 2, 2	+ 0, 033
2055	λ OPHIUCHI	4,0 . 5,9	1, 02	1836,51	800*	353, 5	351, 8	+ 1, 7	+ 0, 030
				1836,52	1000	352, 9	353, 4	- 0, 5	- 0, 009
				1836,53	1000*	354, 2	352, 1	+ 2, 1	+ 0, 037
				1836,54	800*	353, 3	351, 7	+ 1, 6	+ 0, 029
2049	ANONYMA	6,5 . 7,7	1, 03	1836,54	600	216, 9	217, 0	- 0, 1	- 0, 002
1768	CAN. VEN. 181.	5,5 . 7,5	1, 07	1836,52	800	70, 0	71, 6	- 1, 6	- 0, 030
				1836,53	800*	72, 3	71, 0	+ 1, 3	+ 0, 024
2084	ζ HERCULIS	3,0 . 6,1	1, 09	1836,64	1000	188, 6	186, 9	+ 1, 7	+ 0, 032
				1836,71	1000	186, 5	188, 6	- 2, 1	- 0, 040
				1836,76	800	185, 9	189, 0	- 3, 1	- 0, 059
1517	P. XI. 9.	7,3 . 7,3	1, 15	1836,44	480	112, 0	109, 4	+ 2, 6	+ 0, 052
2579	δ CYGNI	2,8 . 7,3	1, 80	1836,49	800*	33, 6	34, 3	- 0, 7	- 0, 022
				1836,54	600*	30, 9	32, 3	- 1, 4	- 0, 044

Omnes hi anguli stellas duplices spectant observatu difficillimas aut vicinitate, aut splendoris differentia, ut ζ Herculis, δ Cygni. Nihilominus non medii solum anguli, ubi plures sunt mensurae, sed singuli ita conveniunt, ut discrimen pro nullo sit accipiendum. Si ex omnibus 38 mensuris 16 stellarum probabilis differentia inter binas directiones singula occasione observatas quaeritur, prodit $e. \sin c = 0",018$ seu $c = \text{arc. sin } \frac{0",018}{e}$. Si utriusque observantis eandem supponimus praecisionem, pro errore probabili ex mensura singula alterius observantis erit $e. \sin c = 0",013$, quantitas etiam minor, quam quae ex solis meis ejusdem stellae repetitis mensuris est deducta p. 280.

D. EXAMINATIO MENSURARUM INTER STELLAS LUCIDAS A 32" AD 7' DISTANTES PERFECTARUM.

Mensurae hae in Appendice I. exstant inde a p. 251 ad 273 usque. De observationum methodo p. 253 exposui.

In angulis directionis P mensuratis, cum utriusque stellae simplex observetur per filum dissectio, constantes errores nullos inesse persuasum habeo, dummodo curetur, ut tum punctum motui diurno in circulo positionum respondens, tum relatio inter polos coeli et intrumenti recte innotuerit. Quas notiones ut omni semper acciperem fide, cautum mihi est. Errores itaque probabiles directionum P , quales in textu dedi, verum aperiant praecisionis iudicium.

Distantiarum vero certitudo propius est examinanda, quippe quae ex pluribus pendeat argumentis. Inter haec primum est revolutionis cochleae pretium angulare. In $r = 15",3170$, p. 254, pro temperatura $= 3^{\circ}0$ R., error mihi videtur admitti posse probabilis $= 0",0030 = \frac{1}{5100}$ totius quantitatis. Hinc sequuntur:

pro distantis	1'	2'	3'	4'	5'	6'	7'
errores probabiles	0",012	0",024	0",035	0",047	0",059	0",071	0",082;

quorum maximus non $\frac{1}{12}"$ efficit. Pretium illud revolutionis est medium pro tota cochleae longitudine cum ex meatibus inde ex 2' ad 77' sit deductum, vide p. XV. Eo loco probatum jam invenies irregularitates cochleae proxime nullas esse. Idem experimentis posthac continuatis, quae communicare supersedeo, confirmatum est.

Magni vero momenti erat correctionem thermometricam pretii revolutionis accuratius definire, quam p. XVI factum est. Coefficiens correctionis, quem ibi protuli et p. 254 in usum verti, ex paucis solum distantis inter ρ et 28 Cephei in temperaturis $11^{\circ},5$ R. differentibus mensuratis pendebat, et parvo proprie discrimine $= 0",4$ nitebatur, quod inter reductas distantias quatuor mensis Augusti 1835 et totidem mensis Februarii 1836 apparuerat. At vero nec fides ipsarum observationum per minimam amplificationem $= 94$ institutarum satisfaciebat, et ipsae reductiones in dubium vocari poterant, si in altera stella aut parallaxis aut aberratio diversa locum habebat. Necessitatem certioris de correctione thermometrica disquisitionis jam p. 255 protuli, quam via sequenti assecutus sum.

Perticam cepi ferream 13 pedes longam, cujus sectio quadratica latera = 1,2 poll. Par. offerebat. In nigra hac pertica torno cava tria cylindrica, aequae distantia et in linea recta disposita, effodiebantur, in quae cylindri parvi ex ebore tornati invariabili modo ita figebantur, ut superficies eorum in plano essent perticae, et orbiculos tres albos in fundo nigro offerrent. Situm cylindrorum in ferro non mutatum esse per lineas subtiles in cylindrorum orbiculis ductas et in ferrum prolongatas compertum est. Distantia inter centra extremorum orbiculorum erat = 132,9 poll. Par., inter quos orbiculus tertius medium quam proxime tenebat locum. Postquam pertica haec in tabulato saepius memorato, 783,0 orgyiarum spatio elongato, aequali semper modo exponebatur, angulares distantias inter orbiculos eburneos in variis emetiebar temperaturis. Si orbiculos per X , Y , Z designo, et duplex distantia XZ per amplificationem = 140, et duplex distantia $\frac{XY+XZ}{2}$ per amplificationem = 214 observabatur, eadem penitus methodo, quae in stellis duplicibus mensurandis usitata est. Diametri orbiculorum aequales inter se erant = 5,2 lin. Par. = 1",6.

Schema sequens seriem continet observationum et distantiae majoris et minoris. Columna verticalis secunda temperaturam indicat ipsius perticae ferreae; tertia et quarta columna lectiones offerunt micrometricas l et λ , quarum unaquaeque ex quinque pendet filorum positionibus. Distantia $D = (\lambda - l)^2$ correctionem poscit ob temperaturam perticae. Hanc ita adhibui, ut omnes distantias in eas mutaverim, quae temperaturae perticae = 0°,0 R. responderent. Hunc in finem dilatationem ferri supposui cognitam = 0,000015 pro singulo gradu thermometri Reaumuriani, unde pro distantis = 63°,7 et 31°,85 correctiones evadunt = 0°,000955. τ et = 0°,000477. τ , si τ est temperatura perticae.

1836	Temperatura perticae	l	λ	Temperatura tubi et micro- metri	Distantia incorrecta D	Correctio ex temperatura perticae	Distantia correcta D'
Distantia XZ							
8 Sept.	+ 13°,7 R.	6',134	69',847	+ 14°,6 R.	63°,713	− 0°,0131	63°,6999
"	+ 13, 7	6, 129	69, 854	+ 14, 4	63, 725	− 0, 0131	63, 7119
"	+ 13, 7	6, 145	69, 849	+ 14, 1	63, 704	− 0, 0131	63, 6909
9 "	+ 14, 1	6, 203	69, 901	+ 14, 8	63, 698	− 0, 0134	63, 6846
"	+ 14, 1	6, 192	69, 893	+ 14, 1	63, 701	− 0, 0134	63, 6876
"	+ 14, 1	6, 193	69, 902	+ 13, 7	63, 709	− 0, 0134	63, 6956
11 "	+ 13, 0	6, 137	69, 848	+ 13, 3	63, 711	− 0, 0124	63, 6986
14 Nov.	− 0, 7	6, 202	69, 870	− 0, 5	63, 668	+ 0, 0007	63, 6687
"	− 0, 7	6, 198	69, 868	− 0, 6	63, 670	+ 0, 0007	63, 6707
15 "	− 1, 1	6, 203	69, 865	− 0, 7	63, 662	+ 0, 0011	63, 6631
"	− 1, 1	6, 204	69, 866	− 0, 7	63, 662	+ 0, 0011	63, 6631
23 "	− 7, 4	6, 186	69, 829	− 6, 7	63, 643	+ 0, 0071	63, 6501
"	− 7, 4	6, 192	69, 822	− 6, 9	63, 630	+ 0, 0071	63, 6371
30 Dec.	− 15, 3	6, 142	69, 785	− 14, 7	63, 643	+ 0, 0146	63, 6576
32 "	− 16, 0	6, 147	69, 778	− 15, 2	63, 631	+ 0, 0153	63, 6463
"	− 16, 0	6, 154	69, 772	− 15, 3	63, 618	+ 0, 0153	63, 6333

1836	Temperatura perticae	l	λ	Temperatura tubi et micro- metri	Distantia incorrecta D	Correctio ex temperatura perticae	Distantia correcta D'
Distantia $\frac{1}{2}(XY + YZ)$							
8 Sept.	+ 13,7 R.	22,052	53,916	+ 14,5 R.	31,864	- 0,0065	31,8575
"	+ 13,7	22,056	53,923	+ 14,2	31,867	- 0,0065	31,8605
"	+ 13,7	22,097	53,931	+ 14,1	31,834	- 0,0065	31,8275
9 "	+ 14,1	22,116	53,981	+ 14,6	31,865	- 0,0067	31,8583
"	+ 14,1	22,107	53,971	+ 13,9	31,864	- 0,0067	31,8573
"	+ 14,1	22,112	53,977	+ 13,1	31,865	- 0,0067	31,8583
11 "	+ 12,0	22,064	53,953	+ 13,1	31,889	- 0,0057	31,8833
14 Nov.	- 0,7	22,102	53,953	- 0,5	31,851	+ 0,0003	31,8513
"	- 0,7	22,095	53,950	- 0,6	31,855	+ 0,0003	31,8553
15 "	- 1,1	22,116	53,958	- 0,7	31,842	+ 0,0005	31,8425
"	- 1,1	22,123	53,948	- 0,7	31,825	+ 0,0005	31,8255
23 "	- 7,4	22,093	53,926	- 6,8	31,833	+ 0,0035	30,8365
"	- 7,4	22,102	53,925	- 6,8	31,823	+ 0,0035	31,8265
30 Dec.	- 15,3	22,041	53,889	- 14,7	31,848	+ 0,0073	31,8553
32 "	- 16,0	22,053	53,886	- 15,2	31,833	+ 0,0076	31,8406
"	- 16,0	22,051	53,882	- 15,2	31,831	+ 0,0076	31,8386

Sumtis ex numeris columnae postremae mediis accipimus:

pro distantia XZ , $D' = 63^{\circ},6725$ in temperatura tubi = + 2°,36 R.;

" " $\frac{1}{2}XZ$, $D' = 31,8484$ " " = + 2,27 R.

Si jam singulas D' cum his comparamus mediis, aequali supposito omnium mensurarum pondere, ex methodo quadratorum minimorum prodit coefficientis thermometricus pretii revolutionis cochleae, quem p. 255. *v* nuncupavi:

$v = 0,0000265$ cum errore probabili 0,0000023;

atque pretium revolutionis cochleae pro qualibet temperatura = t° Reaum. evadit:

$r = 15^{\circ},3170 \cdot (1 - 0,0000265 \cdot (t - 3,0))$.

Si jam cum $\rho = 7^{\circ},6585 (1 - 0,0000265 \cdot (t - 3,0))$ singulas mensuras supra allatas reducimus, has nanciscimur distantias:

Tempe- ratura	Distant. angul. XZ	Differen- tia a medio	Tempe- ratura	Distant. angul. XZ	Differen- tia a medio	Tempe- ratura	Distant. angul. $\frac{1}{2}XZ$	Differen- tia a medio	Tempe- ratura	Distant. angul. $\frac{1}{2}XZ$	Differen- tia a medio
Reaum.			Reaum.			Reaum.			Reaum.		
+ 14,6	486,25	+ 0,07	- 0,6	486,21	+ 0,03	+ 14,5	243,17	- 0,01	- 0,6	243,25	+ 0,07
+ 14,4	486,33	+ 0,15	- 0,7	486,15	- 0,03	+ 14,2	243,20	+ 0,03	- 0,7	243,16	- 0,02
+ 14,1	486,17	- 0,01	- 0,7	486,15	- 0,03	+ 14,1	242,95	- 0,23	- 0,7	243,03	- 0,15
+ 14,8	486,11	- 0,07	- 6,7	486,13	- 0,05	+ 14,6	243,18	0,00	- 6,8	243,15	- 0,03
+ 14,1	486,15	- 0,03	- 6,9	486,03	- 0,15	+ 13,9	243,18	0,00	- 6,8	243,07	- 0,11
+ 13,7	486,22	+ 0,04	- 14,7	486,29	+ 0,11	+ 13,1	243,19	+ 0,01	- 14,7	243,35	+ 0,17
+ 13,3	486,24	+ 0,06	- 15,2	486,21	+ 0,03	+ 13,1	243,38	+ 0,20	- 15,2	243,24	+ 0,06
- 0,5	486,19	+ 0,01	- 15,3	486,11	- 0,07	0,5	243,22	+ 0,04	- 15,2	243,22	+ 0,04

Medium 486,184

Medium 243,184

Consensus mensurarum utriusque seriei est prorsus satisfaciens, nec est cur posteriori, quamvis per amplificationem paulo majorem sit instituta, fidem tribuas majorem. Omnibus mensuris conjunctis accipimus singulae distantiae errorem probabilem $0''059$. Ex duobus pretiis $XZ = 486''184$ et $\frac{1}{2}XZ = 243''184$ combinatis sequuntur pretia ultima $XZ = 486''223$ et $\frac{1}{2}XZ = 243''112$, a quibus singula absunt $-0''039$ et $+0''072$. Haec differentia tam exigua tum ex cochleae oriri potuit irregularitatibus parvis, tum ex eo, quod distantia $486''$, cum radius ocularis excedat, confer p. 251, errorem fortasse exiguum offerat constantem. Error probabilis quantitatis ν , quem supra dedi, ex errore singulae mensurae $= 0''059$ est deductus. In ν vero nulla ex cochleae defectu inest incertitudo, cum mensurae omnes in iisdem prorsus partibus cochleae utrimque a coincidentia $38''00$ sint factae. Nec est cur accipiamus incertitudinem dilatationis ipsius perticae ferreae in ν egisse. Ferri enim expansio ita est nota, ut certe inter $0,000014$ et $0,000016$ pro gradu Reaumuriano jaceat. Accepi $0,000015$. Si vero hujus dilatationis incertitudo probabilis foret $\frac{1}{10}$, evaderet:

$$\nu = 0,0000265 \mp 0,00000087 = (1 \mp \frac{1}{30,4}) \cdot 0,0000265.$$

Ex utroque erroris fonte combinato accipimus:

$$\nu = 0,0000265, \text{ cum errore probabili } 0,00000248.$$

In calculo distantiarum Appendicum I et II. supposueram $\nu = 0,0000678$, quod a vero, quale nunc constitui, multum abest. Ex comparatione evadit quantitas, quam p. 255 μ nuncupavi:

$$\mu = 1000''(0,0000265 - 0,0000678) = -0''0413 \text{ cum errore prob. } 0''0025 = \frac{1}{40} \mu.$$

Hoc μ jam adhibendum est ad omnes distantias inde a p. 257 ad 279 exhibitas emendandas. Exempli gratia in stellis θ' et ρ' Tauri accepi p. 259 distantiam mediam $337''387 + 0,98 \mu$, quae jam transit in $337''347$. Incertitudo hujus mutationis est solum $0''002$. Maxima hujus generis correctio in α' et α'' Capricorni locum habet, p. 271, estque $-2,54 \mu = +0''105$ cum errore probabili $0''006$. Elucet hinc coefficientem thermometricum ita jam esse constitutum, ut nullibi incertitudo ex eo remaneat distantiae, quae sit $0''01$.

Si magnae distantiae mensurari debent, summopere cavendum est, ut totum instrumentum temperaturam acceperit aeris. Hoc semper diligentissime curavi in observationibus tam stellarum coelestium quam ficticiarum, valvis turris mobilis, quae sunt 4 pedes latae, jam diu ante observationem apertis. Deinde vero summa cura est habenda, ut focus lentis objectivae cum situ filorum micrometri conveniat. Id eo sum assecutus, quod correctionem foci numquam non per majorem perficiebam amplificationem, plerumque $= 480$. In 16 illis utriusque seriei distantis inter X , Y , Z , focus semper denuo est correctus, etiam ubi plures mensurae eodem die deinceps instituebantur. Cum error probabilis distantiae $= 486''184$ in quavis mensura sit $0''059$, apparet foci correctionem tam certam fuisse ut, cum in $0''059$ etiam mensurae micrometricae defectus insit, error non ad $\frac{0,059}{486,184}$ longitudinis focalis accederet, seu certe $\frac{1}{10000}$ non superaret, cui respondet $0,2$ lin.

Besselius pro heliometro suo correctionem revolutionis thermometricam in Obs. Reg. XV. p. XXII talem constituit, ut pro quovis gradu Reaumuriano inde sequeretur $\nu = 0,0000191$, quod nostro $\nu = 0,0000265$ est satis vicinum, ut expectari debebat, cum et in heliometro sit cochlea chalybea, ut in micrometro filari, et in vitris ejusdem compositionis proxime aequales supponendae sint dilatationes. Ex $\nu = 0,0000265$ pro singulo gradu Reaum., sequitur mutatio inter 0° et 80° esse $= 0,0021$. Cum vero ipsius cochleae sit inter eadem puncta fixa dilatatio $0,0012$, deducimus distantiam lentis objectivae focalem

a 0° ad 80° non minus quam 0,0033 seu $\frac{1}{300}$ longitudinis = 6,4 lin. Par. mutari, quae est major quam Zinci mutatio. In Obs. Dorp. Vol. II. p. XI narraui, tubi culminatorii octipedis Dollondini lentem objectivam tempore aestivo propius ad fila admotam esse ob tubi orichalcini quam lentis objectivae dilatationem majorem. Sequitur hinc in lentibus objectivis originis variae mutationes longitudinis focalis ex temperatura non esse easdem.

Facillimum jam erit distantiarum inde a p. 257 ad p. 279 exhibitarum errores probabiles ita denuo definire, ut incertitudines et pretii medii revolutionis et coefficientis thermometrici includantur. Si ε' est error probabilis ex mensurarum defectu, $\varepsilon'' = \frac{1}{1100}$ distantiae ex pretio revolutionis, ε''' ex coefficiente thermometrico, prodit ε error distantiae finalis ex:

$$\varepsilon = \sqrt{(\varepsilon')^2 + \varepsilon'' + \varepsilon'''}$$

Ita pro α' et α^2 Capricorni 374" distantibus p. 271 habemus $\varepsilon' = 0'',087$, $\varepsilon'' = 0'',073$, $\varepsilon''' = 0'',006$; hinc $\varepsilon = 0'',114$.

Incertitudines pretii medii cochleae et coefficientis thermometrici nil ad distantias minores quam 32" facere, per se patet, cum nullo modo 0'',01 efficiant.

DE PARALLAXI STELLARUM FIXARUM.

Amplior stellarum duplicium cognitio originem duxit ex desiderio parallaxium stellarum fixarum determinandarum. Primus quidem astronomus, qui peculiarem stellis compositis dicabat operam, Christianus Mayerus non tam parallaxes respexit, quam copulationem inter stellas adspectu vicinas physicam. In libro de novis in coelo sidereo phaenomenis, Manhemi 1779 edito, et astrognosin catalogo 72 stellarum duplicium locupletavit et divinatione magis, ut videtur, quam iudicio theoriam aliquam protulit de stellarum copulatione, quae satis similis est ei, quam astronomi hodierni sunt amplexi. Herschelius I. vero catalogos suos stellarum compositarum longe ditiores eo primum adornavit scopo, ut stellas astronomis indicaret, in quarum situ relativo per anni periodum mutato parallaxes aperirentur. Sed continuati ipsius labores ad finem perduxerunt, initio quidem inexpectatum, mox vero suspectum et deinde felicissime probatum, inter multas stellas apparenter vicinas, quas duplices vocabat, nexum regnare attractionis mutuae. Id jam post Herschelium I. ab astronomis est praecipue enixum, ut, continuatis stellarum conjunctarum mensuris, motus earum circa gravitationis centrum cognoscerent. Nil e contrario usque ad hunc diem ex stellarum duplicium mensuris ad parallaxium cognitionem augendam effectum est.

In introductione catalogi mei anno 1827 editi p. XLVIII et XLIX exponere studui, quatenam stellae duplices ad parallaxes quaerendas idoneae viderentur. Materiam hanc accuratius perscrutandi occasio nobis hic est oblata. Ut observationes, quae ad parallaxes cognoscendas ducant, recte instituantur, non solum stellae idoneae sunt eligendae, sed etiam aptissima observationum genera sunt quaerenda. Exponenda sunt itaque primo loco indicia, quibus eas stellas, quae prae aliis Soli propiores sint habendae, exploremus.

Primum indicium ex stellarum splendore est petendum. Stellae fixae ad instar Solis globosae supponuntur. Si diametros linearis Solis = 1, intensitas lucis solaris = 1, ejus distantia a Terra = 1: pro stella fixa easdem quantitates designemus per d , l , D . Si jam splendorés Solis et fixae, quales nobis videntur, per 1 et s exprimuntur, neglecta luminis extinctionione, erit:

$$s = \frac{d^2 l}{D^2} = \frac{A^2}{D^2}.$$

Numerus hic s in eadem stella idem manet si d et l sunt constantes: Sin minus, stellam adspicimus variabilem. Diametros d , sensu generali accepta, ex causa duplici mutari potest, aut rotatione corporis formae non globosae circa axem, aut interpositione corporis

alterius opaci vel minus lucidi. l vero aut constans est, aut mutatur vel sensim vel, si aliae superficiei partes rotatione obvertuntur, per periodos. Ex his principiis petuntur explicationes, quae de phaenomeno lucis in stellis variabilis offerri possunt. Pro duabus stellis fixis habemus:

$$s = \frac{d^2 \cdot l}{D^2} = \frac{A^2}{D^2}; \quad s' = \frac{d'^2 \cdot l'}{D'^2} = \frac{A'^2}{D'^2};$$

unde deducimus pro distantii proportionem:

$$D : D' = d \cdot \sqrt{\frac{l}{s}} : d' \cdot \sqrt{\frac{l'}{s'}} = \frac{A}{\sqrt{s}} : \frac{A'}{\sqrt{s'}}.$$

Relatio inter s et s' subsidiis photometricis potest constitui. Cum vero $A = d \cdot \sqrt{l}$ et $A' = d' \cdot \sqrt{l'}$ sint quantitates prorsus incognitae, nil de distantii singularum stellarum ex splendoribus comparatis potest deduci. Si vero plures conjungimus stellas, probabile fit aequationem $\frac{\sum A}{n} = \frac{\sum A'}{n'}$ eo propius ad veritatem accedere, quo major est stellarum combinatorum numerus. Sit jam $\frac{\sum \sqrt{s}}{n} = \sigma$, $\frac{\sum \sqrt{s'}}{n'} = \sigma'$ et $A = \frac{\sum D}{n}$ atque $A' = \frac{\sum D'}{n'}$; tum, si stellae utrimque combinatae proxime ejusdem sunt splendoris, pro medio obtinebit proportio

$$A : A' = \sqrt{\frac{1}{\sigma}} : \sqrt{\frac{1}{\sigma'}}$$

eo certius, quo major fuerat stellarum numerus. Hinc jam deducitur stellas splendiores universim Terrae viciniores esse, et parallaxes maximas in stellarum ordinibus prioribus esse exspectandas, quamquam in specie accidere possit, ut stellae minoris splendoris major conveniat parallaxis.

Steinheilii ex comparatione splendoris Solis et Arcturi deduxit, Solem in distantiam 3286500 vices majorem esse transponendum, ut ad splendorem decrescat Arcturi. Hinc sequitur pro Arcturi parallaxi $= \pi$:

$$\sin \pi = \frac{1}{A \cdot 3286500}, \text{ seu } \pi = \frac{1}{A} \cdot 0',0625.$$

Si jam $A = 1$ ponitur i. e. si Arcturi splendorem in distantia Solis eundem accipimus ac Solis, sequitur:

$$\pi = 0'',0625 = \frac{1}{16}'';$$

et mutatio directionis Arcturi ex oppositis orbitae terrestri punctis ad $\frac{1}{4}''$ potest adscendere. Inter multas stellas vero unitate minora A non minus sunt exspectanda quam majora. Unde concludimus in stellis primae magnitudinis exspectari posse parallaxes nonnullas, quarum maximus effectus $\frac{1}{4}''$ superet, i. e. tantas, ut earum hodiernis subsidiis detegendarum sit spes aliqua. Si vero stellae alicujus parallaxis $= \pi$ ex observationibus fuerit cognita, si porro splendoris ad Solem relatio $= s$ fuerit observata, tum productum $d^2 \cdot l = s : \sin \pi$ erit quantitas cognita. Hinc denique sequitur intensitatem luminis a stella emissi $= l$ determinari, simulac d fuerit constitutum i. e. simulac successerit apparentem stellae diametrum metiri. Nulla vero est spes diametros veras angulares observandi, cum diametros Solis in distantia 3286500 vices majore, in qua Arcturi speciem offert, non major sit quam $\frac{1}{17000}''$. Diametri itaque, quas perfectissima ipsa offerunt telescopia, sunt mere spuriae.

Alterum indicium de stellarum fixarum distantii in motibus earum propriis reperitur. Quisquis est hujus mutationis origo, elucet effectum ipsius i. e. motum proprium apparentem in proportione inversa esse ipsius distantiae, in qua stella versatur a systemate Solari. Accipiamus 61 Cygni in dimidiam transportatam esse a Sole distantiam, motu ipsius absoluto non mutato, motus apparens annuus erit $10'',332$ loco $5'',166$. Sequitur hinc eas stellas in universum nobis propiores esse judicandas, in quibus majores apparent motus proprii.

Tertium vero distantiarum comparandarum criterium in ipsis oblatum est stellis duplicibus. In p Ophiuchi secundum Herschelium II. semiaxis major apparens $= 4''{,}3$. In dimidiata distantia idem videretur $= 8''{,}6$. Stellae duplices itaque eae nobis propiores forent habendae, inter quas distantia angularis est major, nisi constaret secundum p. CXXVII divisionem stellarum compositarum in ordines distantiae non in fundamento niti mere optico. At vero dimensionum linearium discrimina ipsis revolutionum indicantur periodis. Si enim parallaxem duplicis $= \pi$ nuncupamus, massamque stellarum combinatam $= M$, massa Solis $= 1$ supposita, si porro semiaxem orbitae verae $= a$ minutis secundis expressam et tempus revolutionis $= T$ ex observationibus deducimus: haec obtinet pro π aequatio:

$$\pi = \frac{a}{T^3 \cdot M^{\frac{1}{2}}}$$

Si formulam hanc ad illas adhibemus stellas duplices, quarum orbitae verae accuratius innotuerunt, ex elementis Herscheli II. pro tribus stellis et Maedleri pro σ Coronae et ξ Ursae accipimus:

pro γ Virginis $\pi \cdot M^{\frac{1}{2}} = 0''{,}185$,
„ Castore „ $= 0, 200$,
„ σ Coronae „ $= 0, 085$,
„ ξ Ursae „ $= 0, 147$,
„ p Ophiuchi „ $= 0, 236$;

quibus adjicimus, si pro ζ Herculis est ex taxatione $a = 1''{,}0$ et $T = 14$ et pro 61 Cygni $a = 16''$ et $T = 500$:

in ζ Herculis $\pi \cdot M^{\frac{1}{2}} = 0''{,}172$,
„ 61 Cygni „ $= 0, 254$.

Videmus ex his parallaxes stellarum duplicium ad $\frac{1}{4}''$ adscendere, si sunt massae earum non majores massa Solis. In 61 Cygni vero parallaxis $0''{,}1$ foret, si massa ipsarum etiam 16,4 esset. Attentione sane dignum est, stellas, in quibus maximi sunt motus proprii, 61 Cygni, p Ophiuchi, ξ Ursae, maxima etiam pro $\pi \cdot M^{\frac{1}{2}}$ offerre pretia. Huic jam parallaxium taxationi, ex periodis et semiaxibus orbitarum stellarum duplicium deductae, non minus fidendum est, quam ei, quae in comparatione photometrica fundatur. In altera enim aequalem supponimus Solis et fixae in eadem distantia splendorem, in altera easdem utriusque massas. Utraque hypothesis aequae probabilis est habenda, quamquam in specie a veritate longe abesse potest.

Concludimus denique probabilitatem distantiae minoris i. e. parallaxis majoris in iis stellis augeri, in quibus plura indicia conjunctim occurrant. Ita inter stellas splendidissimas eas prae aliis respiciamus opus est, quae majores habent motus proprios; inter stellas motibus insignes tam splendoros quam duplices motu in orbita majore praeditas. Non sane casui adscribendum est, motus proprios in stellis lucidis esse frequentiores quam in ceteris. Sumto enim medio, una stella ex sex, quae omnium ordinum in Besseli Fundamentis occurrunt, motum habet $0''{,}2$ in arcu excedentem. Inter 13 stellas vero primae magnitudinis octo inveniuntur, quarum motus proprius $0''{,}2$ superet, Capella, Sirius, Procyon, Regulus, Arcturus, α Lyrae, α Aquilae, α Piscis austrini. Ex his in tribus est motus annuus major adeo quam $1''$, in Sirio, Arcturo, Procyone, quae sunt stellae inter omnes Europae conspicuas splendidissimae, quibus accedit α Lyra, motu minori $= 0''{,}36$ praedita. His omnibus perpensis ipsas jam stellas indicare valemus, quae prae aliis spem offerant, ut parallaxis in iis detegatur. Sunt:

- 1) stellae ordinum magnitudinis primi et secundi;
- 2) stellae motu proprio, qui 1" in arcu quotannis superat, praeditae, η Cassiopeiae, μ Cassiopeiae, τ Ceti, δ Trianguli, ι Persei, 40 Eridani, Sirius, Procyon, θ Ursae maj., 61 Virginis, Arcturus, γ Serpentis, 72 Herculis, p Ophiuchi, σ Draconis, 61 Cygni, Argelandri Nr. 540, 85 Pegasi,
- 3) stellae duplices, quae pro distantis apparentibus motus offerunt relativos in orbita celeriores, 61 Cygni, p Ophiuchi, η Cassiopeiae, ξ Ursae, Castor, γ Virginis, ζ Herculis, δ Herculis.

In 1 et 2 atque in 2 et 3 stellas nonnullas communes esse videmus. Classi tertiae etiam 40 Eridani est adscribenda, cujus conjunctio cum stella nonae magnitudinis 83" distanti phaenomenon est memorabile. Inter omnes stellas itaque sequentes maxime dignae videntur, quae respectu parallaxeos examinentur:

α Tauri, Capella, Sirius, Procyon, Arcturus, α Lyrae, α Aquilae, Pollux, Castor, 61 Cygni, 40 Eridani, μ Cassiopeiae, Argelandri Nr. 540, p Ophiuchi, ξ Ursae maj., γ Virginis, ζ Herculis.

Transeamus jam ad methodos parallaxium observandarum. Si stellae duae 180° in longitudine distantes idoneis observantur temporibus, summa duarum parallaxium offertur. Methodus vero haec, quamquam primo intuitu valde commendanda videtur, nullam spem offert successus. Comparatio enim stellarum oppositarum non nisi post 12 fere horarum intervallum potest institui, seu instrumentum meridianum adhibeas, seu tubum in muro fixum; et dubia semper erit perfecta instrumenti post tantum intervallum constantia. Unica itaque methodus, quae ex mea opinione ad parallaxes constituendas ducere potest, in eo est, ut stella A , in qua major exspectari potest parallaxis, cum iis in vicino jacentibus B comparetur, quae nullam probabiliter habeat parallaxem, ex gr. stella lucida motu proprio insignita cum exiguis circumjacentibus motus proprii expertibus. Comparatio haec in variis instrumentis vario modo instituenda est. Hoc vero loco unice de iis loquar observationibus, quae in tubo parallactico, micrometro filari instructo, qualis est noster tubus Fraunhoferianus, maxime videntur efficaces.

Inter 18 stellas supra commendatas sunt 7 duplices sensu strictiore. Comites earum intra 32" vicinae nullum offerunt in parallaxem inveniendam usum, cum copulatio physica sit demonstrata. Pro omnibus 18 stellis A stellae B distantiores, nullo ipsis attractionis vinculo nexae sunt quaerendae. Si stella aliqua A motum habet proprium, in eo ipso subsidium inveniendum, quo stellas non copulatas cognoscas. Talis est ex gr. comes exigua 43" ab α Lyrae distans, vide p. CXVII, at non comes nonae magnitudinis, quae 83" a 40 Eridani distat, vide p. CXI. Non vero semper stellae A altera B tam propinqua reperitur, ut mensura micrometrica possit adhiberi, cujus sunt certi limites pro ocularium campis, vide p. 251. In hoc casu optimum videtur stellulas duas quaerere distantiores, proxime in parallelo stellae A jacentes, alteram praecedentem alteram sequentem, quibuscum A comparetur. In Sirii parallelo sunt exempli gratia duae stellulae, altera pro anni 1827 epocha 1'5",2 temporis prior, altera 32",8 posterior. Tubo jam non moto tempora transituum stellarum per filum in circulo declinationis jacens egregia notantur certitudine; quae observatio ad libitum potest iterari. Optimum videtur hunc in finem horologium adhibere, quod 0",5 sonat, cujus opera transitus stellarum certius observari quam horologio, quod per integra secunda movetur, in Obs. Dorp. IV. p. L probatum est. Singularem vero modo hujus methodi certitudo augeri posse videtur, si AAR pluribus horologiis, quae chronometra

vocantur et $0'',4$, $0'',5$ atque $\frac{1}{2}''$ sonant, observantur. Quae autem sit praecisio differentiarum in AR inter stellas splendidissimas et vicinas exiguas nostro instrumento observatarum, jam anno 1827 cognovi. Eo enim tempore in animo erat in fixarum parallaxes inquirere, a quo proposito laboribus de stellis duplicibus continuandis avocatus sum. Stellas interim 17 ordinis primi et secundi cum exiguis vicinis ita comparavi, ut pluribus noctibus transitus utriusque stellae per singulum filum sexies notaretur. Exemplum sit α Lyrae, quae quatuor diebus cum stella x , undecimae magnitudinis, $1'$ australiori ita est comparata:

1827.	5 Apr.	15 ^h 59'	temp. sid.	α Lyra	$= x - 1'6'',92$
	9 "	14 8	"	"	6, 90
	10 "	14 57	"	"	7, 01
	11 "	15 50	"	"	6, 93

Medium 9 Apr. 15 14 " α Lyrae $= x - 1'6'',940$.

Horologium erat Repsoldianum $0'',5$ sonans. Ex omnibus 17 stellarum transitibus inveni differentiae in AR inter binas stellas uno die ex 6 transitibus ita constitutae errorem probabilem esse $0'',0348$ temporis $= 0'',52$ arcus. Apparet, observationibus satis frequenter repetitis, parallaxes non fugituras, si $0'',1$ ad $0'',2$ arcus attingunt.

Formulae parallaxium in AR et Decl. ex formulis aberrationis deducuntur, si longitudini Solis 90° adjicitur et si loco numeri aberrationis constantis ($20'',255$) parallaxem $= \pi$ ponimus. Si itaque per \odot Solis longitudinem designamus, pro obliquitate ecliptices $= 23^\circ 27',5$ has accipimus formulas ad locum apparentem ex medio calculandum:

$$\text{parallaxis in } AR \quad \pi' = \pi \cdot \sec \delta \cdot (0,917 \cdot \sin \odot \cdot \cos \alpha - \cos \odot \cdot \sin \alpha)$$

$$\text{parallaxis in Decl.} \quad \pi'' = \pi \cdot (0,398 \cdot \cos \delta \cdot \sin \odot - 0,917 \cdot \sin \odot \cdot \sin \alpha \cdot \sin \delta - \cos \odot \cdot \cos \alpha \cdot \sin \delta)$$

Hinc facile deducitur maximam parallaxem in AR locum habere pro:

$$\odot = 90^\circ + T, \text{ ubi } \tan T = 1,090 \cdot \tan \alpha;$$

ipsumque maximum esse:

$$\pi \cdot \sec \delta \cdot \sqrt{1 - 0,158 \cdot \cos \alpha^2} = \pi \cdot \sec \delta \cdot (1 - 0,079 \cdot \cos \alpha^2)$$

Si loco longitudinis Solis $= \odot$ ipsius ascensionem rectam $= S$ adhibemus, evadit maxima parallaxis in AR pro:

$$S = 90^\circ + R, \text{ ubi } \tan R = 1,188 \cdot \tan \alpha, \text{ seu pro } S = 90^\circ + \alpha + 5^\circ 23' \cdot \sin 2\alpha.$$

Stella itaque, cujus ascensio recta $= \alpha$, habet:

$$\text{m\u00e1ximum parallaxis in } AR, \text{ si ejus culminatio} = 18^h - 21',5 \cdot \sin 2\alpha \text{ temp. veri;}$$

$$\text{minimum parallaxis in } AR, \text{ si ejus culminatio} = 6^h - 21',5 \cdot \sin 2\alpha \text{ temp. veri.}$$

Sed revertamur ad eas stellas A et B , inter quas micrometricae possunt institui mensurae tam distantiarum quam directionum. In tubo nostro distantiae non majores quam $5'$ admittuntur, si amplificationes 320 et 214 adhibere volumus, distantiae ad $7'$ et $9'$ vero, si amplificationes 140 et 94 in usum vocamus. In distantis $5'$ non excedentibus error probabilis observationis singuli diei secundum p. 255 tam pro distantia quam pro directione est proxime $0'',12$, et evanescit in his majoribus intervallis directionum prae distantis praestantia, quae in minoribus est indubia, vide p. LIX. Sequitur duplici via, tam angulorum quam distantiarum mutatione, in parallaxem inquiri posse aequali successus spe. Perfectissima vero est ea methodus, quae utrisque nititur conjunctis. Neque dubitari potest, quin talibus et distantiarum ex directionum inter idoneas stellarum observationibus parallaxis detegi possit, etiamsi $0'',1$ arcus non superet.

Calculus harum observationum egregie levatur, si loco angulorum directionis P , ad polum aequatoris relatorum, angulos Q ad polum ecliptices pertinentes adhibemus. No-

tissimae formulae ex α , δ et obliquitate ecliptices $= \omega$ dant longitudinem stellae $= L$ ejusque latitudinem $= B$. Ex quibus prodit:

$$\sin k = \sin \omega \cdot \cos L \cdot \sec \delta = \sin \omega \cdot \cos \alpha \cdot \sec B;$$

$$Q = P + k.$$

Positivum est k pro α et L inter 270° et 90° , negativum inter 90° et 270° . Praecessio vero in k agit; unde apparet k pro duabus minime epochis esse calculandum, si anguli P inter easdem stellas pluribus temporibus observati in Q sunt mutandi *).

Exprimatur pro epocha aliqua E locus medius stellae primariae in coelo per L et B , longitudinem et latitudinem, atque relatio inter ipsam et comitem per distantiam $= e$ et angulum directionis $= Q$. Hinc deducuntur differentiae mediae in longitudine et latitudine pro hac epocha per:

$$b = e \cdot \cos Q \quad \text{et} \quad l = e \cdot \sin Q \cdot \sec \mathfrak{B},$$

ubi $\mathfrak{B} = B + \frac{1}{2} b$ est latitudo puncti inter duas stellas intermedii. Ut ex his datis relatio calculetur apparens pro epocha $E' = E + t$, seu l' , b' , e' , Q' , respiciendi sunt soli motus proprius et aberratio luminis, si parallaxes stellarum nullas supponimus, cum praecessio et nutatio nil in polum ecliptices agant. Sit motus proprius annuus majoris in $AR = d\alpha$ in Decl. $= d\delta$, dum pro comite motum $= 0$ supponimus. Ut hinc motus in longitudine $= m$ et in latitudine $= n$ deducamus, fiat:

$$\frac{d\alpha \cdot \cos \delta}{d\delta} = \tan R, \quad \theta = \frac{d\alpha \cdot \cos \delta}{\sin R} = \frac{d\delta}{\cos R},$$

erit:

$$m = \theta \cdot \sin(R + k) \cdot \sec B, \quad n = \theta \cdot \cos(R + k).$$

Aberratio majoris stellis, si $20'',255 = c$ accipitur, erit:

$$\text{in longitudine } p = -c \cdot \cos(\odot - L) \cdot \sec B,$$

$$\text{in latitudine } q = -c \cdot \sin(\odot - L) \cdot \sin B.$$

Ad aberrationes comitis p' et q' calculandas differentiatio quantitatum p et q in sequentes formulas ducit. Si

$$B + tn + q + \frac{1}{2} b = \mathfrak{B}',$$

$$f = \sin 20'',255 \cdot l; \quad g = \sin 20'',255 \cdot b \cdot \tan \mathfrak{B}';$$

$$h = \sin 20'',255 \cdot l \cdot \sin \mathfrak{B}'; \quad i = \sin 20'',255 \cdot b \cdot \cos \mathfrak{B}';$$

erit:

$$p' - p = -f \cdot \sin(\odot - L) \cdot \sec \mathfrak{B}' - g \cdot \cos(\odot - L) \cdot \sec \mathfrak{B}' = r,$$

$$q' - q = +h \cdot \cos(\odot - L) - i \cdot \sin(\odot - L) = s;$$

in quibus formulis propter numerorum f , g , h et i parvitatem etiam loco \mathfrak{B}' ipsum B potest adhiberi. Sunt jam itaque positiones apparentes:

*) Reductio directionum P in aequinoctium fixum absque calculo longitudinum et latitudinum ita perficitur. Sit:

pro epocha	AR	Decl.	Angulus	Obliq. ecl.
E	α	δ	P	ω
$E' = E + t$	α'	δ'	$P' = P + p$	ω'

Erit respectis membris quadraticis:

$$p = t \cdot 50'',21 \cdot \sin \omega' \cdot \sec(1^\circ 25' + t \cdot 23''). \sin(\alpha + 1^\circ 25' + t \cdot 23''). \sec \delta' \quad (\text{I})$$

$$= t \cdot 50'',21 \cdot \sin \omega \cdot \sec(1^\circ 23' - t \cdot 23''). \sin(\alpha' + 1^\circ 23' - t \cdot 23''). \sec \delta \quad (\text{II})$$

Ponamus quantitates pro media epocha $\frac{1}{2}(E + E')$ valentes:

$$\alpha'' = \frac{1}{2}(\alpha + \alpha'), \quad \delta'' = \frac{1}{2}(\delta + \delta'), \quad \omega'' = \frac{1}{2}(\omega + \omega'),$$

evadit ex I et II. combinatis formula commodissima:

$$p = t \cdot 50'',21 \cdot \sin \omega'' \cdot \sec 1^\circ 23'. \sin(\alpha'' + 1^\circ 23'). \sec \delta'' \quad (\text{III})$$

$$= t \cdot 20'',00 \cdot \sin(\alpha'' + 1^\circ 23') \cdot \sec \delta''.$$

Pro polari est in epochis 1750 et 1850, $\alpha = 10^\circ 43',0$, $\delta = 87^\circ 58',0$, $\omega = 25^\circ 28',18''$, $\alpha' = 16^\circ 45',5$, $\delta' = 88^\circ 50',6$, $\omega' = 23^\circ 27',30''$; $\alpha'' = 13^\circ 29',15$, $\delta'' = 88^\circ 14',5$. Quibus adhibitis accipimus pro 100 annis inde a 1750 ad 1850 anguli P ex praecessione incrementum:

$$p = +4^\circ 43' \text{ ex form. I.}, \quad = +4^\circ 35' \text{ ex form. II.}, \quad = +4^\circ 59' \text{ ex form. III.}$$

stellae primariae: $L' = L + tm + p$; $B' = B + tn + q$;

stellae comitis: $L' + l' = L + l + p'$; $B' + b' = B + b + q'$.

Unde differentiae apparentes longitudinum et latitudinum, et ratio apparens per distantiam et directionem:

$$\begin{aligned} l' &= l - tm + r = e'. \sin Q'. \sec \mathfrak{B}'; \\ b' &= b - tn + s = e'. \cos Q'; \\ \text{tang } Q' &= \frac{l'. \cos \mathfrak{B}'}{b'}; \quad e' = \frac{l'. \cos \mathfrak{B}'}{\sin Q'} = \frac{b'}{\cos Q'}. \end{aligned} \quad (\text{I})$$

At vero relationes ita calculatae a veris etiam differre possunt, si elementa calculi non justa et completa fuerunt. Nominemus has veras relationes e'' et Q'' . Interest inter e' et e'' atque inter Q' et Q'' :

- 1) si relatio media pro epocha E loco e et Q fuit $e + \varepsilon$ et $Q + \varrho$,
- 2) si motus annui loco m et n erat $m + \mu$ et $n + \xi$,
- 3) si alia erat luminis a stella primaria oculo immissi celeritas quam a comite, seu si pro comite loco $c = 20'', 255$ erat constans aberrationis $= 20'', 255 + \varkappa$,
- 4) si majori stella erat parallaxis $= \pi$, dum comitis parallaxem $= 0$ supponimus.

Neglectis quantitatibus ε et ϱ , quas postea facili negotio seorsim introducemus, erit:

$$\begin{aligned} dl' &= -t\mu + dr - \pi', \quad \text{ubi } \pi' \text{ est parallaxis in longitudine,} \\ db' &= -t\xi + ds - \pi'', \quad \text{ubi } \pi'' \text{ est parallaxis in latitudine.} \end{aligned}$$

At vero:

$$\begin{aligned} dr &= dp' = -\varkappa. \cos(\odot - L). \sec \mathfrak{B}', \\ ds &= dq' = -\varkappa. \sin(\odot - L). \sin \mathfrak{B}', \\ \pi' &= \pi. \sin(\odot - L). \sec \mathfrak{B}', \\ \pi'' &= -\pi. \cos(\odot - L). \sin \mathfrak{B}'. \end{aligned}$$

Ex formula I. accipimus:

$$\begin{aligned} e'. \sin dQ' &= -\sin Q. db' + \cos Q. dl'. \cos \mathfrak{B}', \\ de' &= \cos Q. db' + \sin Q. dl'. \cos \mathfrak{B}'. \end{aligned}$$

Facta substitutione, si $\mu. \cos \mathfrak{B}' = \mu'$ ponitur, si jam et ε et ϱ respicimus atque $e. \sin \varrho = \sigma$ nuncupatur, evadit:

$$e'. \sin dQ' = \sigma - t. \cos Q. \mu' + t. \sin Q. \xi + \sin Q. \sin \mathfrak{B}'. \sin(\odot - L) \left\{ \varkappa - \cos Q. \sin(\odot - L) \right\} \pi \quad (\text{II});$$

$$- \cos Q. \cos(\odot - L) \left\{ -\sin Q. \sin \mathfrak{B}'. \cos(\odot - L) \right\} \pi$$

$$de' = \varepsilon - t. \sin Q. \mu' - t. \cos Q. \xi - \sin Q. \cos(\odot - L) \left\{ \varkappa - \sin Q. \cos(\odot - L) \right\} \pi \quad (\text{III});$$

$$- \cos Q. \sin \mathfrak{B}'. \sin(\odot - L) \left\{ + \cos Q. \cos \mathfrak{B}'. \cos(\odot - L) \right\} \pi$$

Introducamus angulos auxiliares, ita ut sit:

$$\begin{aligned} \text{tang } \varphi &= \frac{1}{\sin B. \text{tang } Q} \quad \text{et} \quad u = \frac{\cos Q}{\sin \varphi} = \frac{\sin Q. \sin B}{\cos \varphi}, \quad U = L + \varphi, \\ \text{tang } \psi &= \frac{\text{tang } Q}{\sin B} \quad \text{et} \quad v = \frac{\sin Q}{\sin \psi} = \frac{\cos Q. \sin B}{\cos \psi}, \quad V = L - \psi, \end{aligned}$$

erit:

$$e'. \sin(Q'' - Q') = \sigma - t. \cos Q. \mu' + t. \sin Q. \xi + u. \sin(\odot - U). \varkappa - u. \cos(\odot - U). \pi \quad (\text{IV});$$

$$e'' - e' = \varepsilon - t. \sin Q. \mu' - t. \cos Q. \xi - v. \sin(\odot - V). \varkappa + v. \cos(\odot - V). \pi \quad (\text{V}).$$

Videmus ex his unamquamque relationem observatam per comparationem quantitatum e' et Q'' cum calculatis e' et Q' aequationes offerre duas,

- alteram ex $e'' - e'$, quae incognitas complectitur $\varepsilon, \mu', \xi, \varkappa, \pi$;
- alteram ex $Q'' - Q'$, quae incognitas complectitur $\sigma, \mu', \xi, \varkappa, \pi$.

Si observationum is est scopus primarius, ut π ex ipsis quaeratur, ea anni tempora constituentur necesse est, in quibus maximi parallaxis effectus et positivi et negativi tam

in distantiam quam in directionem locum habent. Ex formulis IV et V facili negotio sequentia deducuntur theoremata.

- 1) Distantia ex parallaxi fit maxima et minima pro $\odot = V$ et $\odot = V + 180^\circ$. Effectus parallaxeos maximus in distantiam est $= \mp \nu \pi$.
- 2) Angulus ex parallaxi maximus et minimus accidit pro $\odot = 180^\circ + U$ et $\odot = U$. Maximus parallaxeos effectus in angulum est $dQ = dP = \mp u \cdot \frac{\pi}{\sin 1'}$, in minutis primis expressus.
- 3) Maximi aberrationis diversae effectus locum habent pro longitudinibus Solis quadrante minoribus quam eae, quae pro maximis valent parallaxeos.

Adhibeamus nunc methodum expositam ad mensuras, quas de stella lucida α Lyrae et comite exigua $43''$ distanti ad finem anni 1836 usque perfecimus. Borealis hujus stellae declinatio id offert emolumentum, ut toto anno in majoribus ab horizonte observetur elevationibus. Ob latitudinem $= 61^\circ 44'$ ellipsis parallactica est circulo proxima, cum sit axium ratio $= 1:0,88$. Quinque harum stellarum mensurae in Appendice II. p. 278 occurrunt, quibus accesserunt 12 aliae, parallaxeos causa denuo institutae. Observationes vero hae neque satis frequentes, nec omnibus anni temporibus sunt institutae, et continuatae demum eo ducent, ut parallaxin iis includamus finibus, ad quos praestantissimo nostro apparatu accedere licet. Juvat interim et calculi exemplum offerre et parallaxem his ipsis jam observationibus aliquanto certius definire, quam hucusque ab aliis astronomis factum est; denique ex completa omnium observationum comparatione accuratius provocare iudicium non solum de observationum certitudine, sed etiam de spe, quam instrumentum nostrum offert, parallaxium inveniendarum.

Inter α Lyrae et comitem magnitudinis $= 10,5$ nullam esse copulationem physicam p. CXVII ex observationibus est probatum. Stellae hae itaque maxime sunt idoneae ad majoris parallaxin manifestandam, cum in stella non copulata magnitudinis $= 10,5$, quam secundum p. LXIX centies minime distantiore quam stellam primi ordinis aestimamus, parallaxis ne ad centesimam quidem partem parallaxeos α Lyrae adscendere verisimile sit.

Reductionis elementa pro epocha $E = 1836,5$ sunt haec:

$$\alpha = 277^\circ 51', 0; \delta = 38^\circ 38', 1; \omega = 23^\circ 27', 6; L = 283^\circ 1', 4; B = 61^\circ 44', 6; k = + 6^\circ 35', 7.$$

Assumta jam pro eadem epocha relatione media:

$$e = 43'', 000; P = 137^\circ 54', 3; Q = 144^\circ 30', 0.$$

evadit:

$$l = + 52'', 735, \quad b = - 35'', 007, \quad \vartheta = 61^\circ 44', 3;$$

$$\varphi = 302^\circ 9', \quad U = 225^\circ 10', \quad u = 0,962;$$

$$\psi = 141^\circ 0', \quad V = 142^\circ 1', \quad \nu = 0,923.$$

Maxima distantia ex parallaxi pro $\odot = 142^\circ 1'$, seu die 15 Aug.;

minima distantia ex parallaxi pro $\odot = 322^\circ 1'$ „ 11 Febr.;

maximus angulus ex parallaxi pro $\odot = 45^\circ 10'$ „ 6 Maji;

minimus angulus ex parallaxi pro $\odot = 225^\circ 10'$ „ 7 Nov.

Motus proprius annuus stellae primariae secundum Argelandrum est $d\alpha = + 0'', 287$, $d\delta = + 0'', 295$, qui luculentissime confirmatus est ex situ inter stellas inde ex 1782 ad 1836 mutato, motum relativum stellarum annum $+ 0'', 284$ et $+ 0'', 297$ exhibente. Vide p. CXVIII. Ex $d\alpha$ et $d\delta$ sequitur motus in longitudine et latitudine annuus:

$$m = + 0'', 542; n = + 0'', 267.$$

Qui numeri veris motuum quantitibus debent esse tam vicini, ut correctiones μ et ξ pro paucis annis proxime nullae sint habendae.

In calculo relationum apparentium e' et Q' ex mediis e et Q compendii causa differentias aberrationis r et s neglexi, cum pro stellis 43" distantibus millesimas tantum minuti secundi partes afficiant. Schema sequens primo loco quantitates e'' et P'' observatas, at refractione jam correctas exhibet, cujus vero effectus erat perexiguus, cum invenirem in angulis horariis occidentalibus:

	0h	2h	4h	6h
correctionem distantiae	+ 0",013	+ 0",012	+ 0",012	+ 0",012;
correctionem anguli	+ 0',2	+ 0',1	+ 0',1	+ 0',4.

In distantibus ex mensuris reducendis ea pro variis temperaturis adhibui pretia revolutionis cochleae, quae formula p. CLIX exhibet, cujus tanta est certitudo, ut error maximus intra -15° et $+12^\circ$ R. pro distantia 43" minor sit quam 0",003. Columnae e' et Q' inscriptae apparentes relationes ex media deductas exhibent. Postremae denique duae schematis columnae differentias offerunt inter quantitates observatas e'' , Q'' atque calculatas e' , Q' .

	Epocha	Tempus sidereum	Distantia observata e''	Directio observata P''	$P'' + k = Q''$	Ex calculo		$e'' - e'$	$e'.\sin(Q'' - Q')$
						e'	Q'		
	1835								
1	3 Nov.	22h 10'	42",89	137°51'	144°27'	42",95	144° 10',6	- 0",06	+ 0",20
2	4 "	22 31	42, 42	137 48	144 24	42, 96	144 10, 8	- 0, 54	+ 0, 16
3	16 "	21 25	42, 94	137 54	144 30	42, 96	144 11, 9	- 0, 02	+ 0, 23
	1836								
4	16 Juli	20 32	43, 40	137 40	144 16	43, 00	144 31, 2	+ 0, 40	- 0, 19
5	19 Aug.	23 3	43, 16	138 0	144 36	43, 01	144 33, 8	+ 0, 15	+ 0, 03
6	22 "	21 28	43, 12	137 54	144 30	43, 01	144 34, 1	+ 0, 11	- 0, 05
7	7 Sept.	22 47	42, 98	138 21	144 57	43, 01	144 35, 2	- 0, 03	+ 0, 27
